





FALETI
DE BELLO
SICAMBRI
Aldus
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
RACCOLTA NENCINI
ALDINI
I
6
30










AMANTIBUS IUSTITIAM PIETATEM FIDEM
Le Comte D. Boutourlin


BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE
ALDINI
I
6
30
RACCOLTA NENCINI


OTIVM
SINE LITERIS
MORS EST
Seneca
Ex Libris Ioannis Nencini
1874

Renouard page 303. N° 13.


Ce volume est beau et rare —

a 414.

HIERONYMI FALETI
DE BELLO SICAMBRICO
LIBRI IIII.

ET EIVSDEM ALIA POEMATA,
LIBRI VIII.





VENETIIS, M. D. LVII.

AD HIERONYMVM FALETVM, HERCVLIS FERRARIENSIVM Principis apud Venetam remp. oratorem, in ipſius poemata Pauli Manutii præfatio.

MAGNA laus eſt eorum, Hieronyme Falete, qui non ad uulgarem humilemq; artem, ſed ad nobilem aliquam liberalemq; doctrinam ſua ſtudia contulerunt: maxima uero, ſi quis eam philoſophiæ partem, quæ poeſis appellatur, ita eſt complexus, itaq; hæret in ea cognoſcenda, ut auelli nulla prorſus ratione poſsit. itaque ueteres illos, quibus optimi ac ſummi Dei uocem audire, eiusq; ſermone frui ſæpe licuit, homines ſapientiſsimos, atque ſanctiſsimos, poeticæ facultatis admodum ſtudioſos fuiſſe conſtat, ſuasq; cogitationes non eo, quo quilibet uteretur, ſermone, ſed uerſibus ex-

ponere uoluiſſe. quorum extant non nulla, ſane præclara: quæ cum legimus, afficimur, &, quaſi diuina quadam ui abrepti, extollimur haud paulo altius, quàm qui rerum humanarum in ſtudio uerſantur. Habet igitur ars poetica dignitatem; quandoquidem in ea latent arcana philoſophiæ, quæ profanis oculis non patent: ea rudes animos excolit: ea nos ab rerum humilium ſtudio deducit: ad egregios mores, ad ueram religionem, ad excellentem magnarum rerum cupiditatem uocat. Habet eadem ſuauitatem: quia uocibus apte conſtructa oratio miram infundit auribus animiſq; iucunditatem. Et, ut uno uerbo comprehendam, poœſis numerus eſt: numerus porro nihil aliud, quàm ordo: ordinis autem principium à Deo fluxit. diuini ſunt igitur homines poetæ, nec illo non honorum genere decorandi. poetas autem definio, non quicun-

que

que uerſus faciunt; qui moleſta & odioſa garrulitate ſæpe nobis obſtrepunt; ſed eos, quorum in uita non minus, quàm in ſcriptis, elucet ordo; à quibus colitur humanitas, & beneficentia non modo laudatur, uerum etiam pro facultatibus exercetur. hæc enim ſunt ſacra illa myſteria, quæ poœſis fabularum ſpecie ita uelat, ut ea tamen uatum excellentium, hoc eſt bonorum uirorum, mentes intelligant. quæ uero his uirtutibus aduerſantur uitia, hæc ſunt illa monſtra, inimica naturæ, quæ poeticis figmentis oſtenduntur, ſus Erymanthius, leo Nemeæus, hydra Lernæa, gigantes, & harpyæ, quæq; alia traduntur, perdendis hominibus, aut frugibus nata. Neque uero tu, Falete doctiſsime, tantam animi præſtantiam poſſideres; non eſſes tam ad omnem uirtutem, ad omnem laudem propenſus; nõ tam in moribus elegans, in conſuetudine

dine

dine comis, atque etiam pro tuarum co piarum ratione beneficus, ac liberalis; nisi magistram ab ineunte ætate habuisses poeticam artem; quæ te suis præceptis erudiit, atque informauit; nihil ut ageres, quod ab honesto dissideret; nihil ut in omni uita, præter decus, & antiqua maiorum tuorum, hominum clarissimorum, instituta, cogitares. cuius tanti beneficii non est apud immemorem gratia collocata. habes enim pœsim in deliciis: eam amas: eam ornas. cumq; Herculis, Ferrariensium Principis post hominum memoriam maximi, personam sustineas, idq; tanto splendore, ac tanta, quanta nemo unquam antea, dignitate; summis tamen magnarum rerum occupationibus districtus, scribis sæpe uersus Calliope dictante, & à grauissimis curis tanquam in amœnissimos Musarum hortos, animi causa, diuertis. superioribus quidem diebus, cum

egregium

egregium illum Anaxagoræ, ueteris phi losophi, librum, de altera hominum uita græce scriptum, Italicum in sermonem conuertisses; atque ego te, quod uiatores difficili confecto itinere consueuerunt, aliquot dierum quietem uelle capere existimarem: inueni te poema tuum de bello Sicambrico, non nullis abhinc annis compositum, ita tractantem accurate, ut adderes non pauca, quædam detraheres, multa corrigeres. quæ cum legerem, admiratus elegantiam uerborum, splendoremq; sententiarum, hortatus sum ut ederes, & eo magis, quòd reliqua tua poemata, non modo iam impressa, uerum etiam manu scripta, per manus, perq; ora doctorum uirorum eximia tua cum laude uolitarent. qua in re non modo meo, uerum etiam studiosorum omniũ nomine gratias tibi habeo, habeboq;, dum uiuam, immortales; quòd meis hortatibus, ac

precibus

precibus tribuisti tantum, ut te mihi totum remitteres, tuorumq; poematum ius omne tuum, omnemq; plane potestatem ad me liberalissime transferres. quod cum impetrassem, exceptus sum illico ea cura, principi ne alicui uiro, quod fere solet, an amico homini, ac familiari, an uero tibi ipsi potius ingenii tui fœtus essent dicandi. tibi quidem tua deberi uidebantur: sed ab huiusmodi consilio tua mihi multis in rebus perspecta modestia deterrebat. rursus, cum intelligerem, omnes fere libros, qui typis diuulgantur, uel ad eos mitti solere, quorum auctoritas, aut quorum opes utilitatem aliquando aliam ei, qui mitteret, parere posset; uel iis, quos pro magnis eorum beneficiis aliquo munere remunerari æquum esset; uel iis denique, cum quibus minime uulgaris intercederet amicitia: hæc, Falete humanissime, cum omnia concurrerent,

uictus

uictus ſum, tuaq; ad te ipſum ſcripta mittere conſtitui. nam etſi princeps tu quidem fortuna non es, ſummis tamen principibus tua te uirtus ita commendauit, carumq; reddidit, ut eorum opibus æque, ac tuis, eos, quos diligis, beare poſsis. ſed omitto reliquos. Hercules uero, Ferrarienſium princeps, immortalitate digniſsimus, cui te totum uni addixiſti, cuius eſſe uis quidquid in omni uita præſtare potes, is quo te numero habeat, facile declarauit, cum, poſt multas legationes, ad Sarmatarum Regem, ad Imperatorem, ad Pontificē, oratoris apud Venetam remp. munus honorificentiſsimum tibi commiſit. quapropter, quod ad hanc partem attinet, parui refert, utrum principis nomine liber aliquis inſcribatur, an uero eius, cuius apud principes auctoritas ea ſit, ut prodeſſe quibus uelit non mediocriter poſsit. De tuis autem erga me

officiis quid agam pluribus? quæ cum & multa ſint,& maxima; tum uero illud excellit, quòd in hac mea ſatis diuturna oculorum ualetudine uenire domum meam quamſæpiſsime, animumq́; meum, triſtibus curis affectum, tuo aſpectu, ac ſermone recreare ſolitus es. Amicitia uero ſi ſpectanda fuit; neminem tibi debui anteferre. coniunxit enim nos non caſus, ut multos, non uulgare aliquod ſtudium, non ambitio, non utilitas, ſed ipſa, quæ omnes res nobilitate uincit, uirtus, & artium liberalium ſocietas; quarum uterque noſtrum incredibili ſtudio tenetur. Mitto igitur ad te, quando ita ratio poſtulat, tua poemata; non ut tibi, de me optime merito, quaſi gratiam referam de tuo; ſed ut habeat à me noſtra ætas, atque adeo poſteritas ipſa, primum, teſtimonium beneuolentiæ atque obſeruantiæ in te meæ, deinde beneficium, quod,

tua

tuá ſcripta cum leget, fatebitur eſſe maximum. Interea peto à te, ut in illo maiorum uigiliarum opere de fiſco, cui nondum extremam manum impoſuiſti, exorari te ſinas, id eſt ut abſoluas, atque perpolias. magnum enim inde fructum capient omnes iuriſconſulti: cum te difficiles admodum reconditæ materiæ nodos ingenio ſoluentem, & quæſtiones illas implicatas atque inuolutas explicantem, exquiſitoq́; quodam ordine tractantem intuebuntur. neque uero tua mihi eſt occupatio minus nota: cum & negocia tractes Principis eximii; & ob tuam uirtutem nobiles uiri non modo quotidie, uerum omnibus pene horis officii honoriſq́; cauſa adeant: ſed rurſus eum te eſſe noui, qui, quod tibi occupationes eripiunt, id ingenii præſtantia conſequaris. conſule igitur gloriæ tuæ: conſule ſtudioſis omnibus antiquarum nouarumq́; legum:

 effice,

effice, ut, quantum in poetica facultate, quantum eloquentia polles, tantum in iure ciuili, maximeq; in ea parte, quæ obſcuritatis habet plurimum, ualere te tua ſcripta ſignificent. Meam uero hãc, quam profecto in hac epiſtola uides elucere, uoluntatem, animiq; ſingularem ad te amandum propenſionem amplectere: atque ita ſtatue, ſi tu mihi, quod, ut uideo, præclare facis, in amore reſpondebis, par amicorum neque noſtra, neque ueterum memoria coniunctius ullum fuiſſe. idq; quanti à me fiat; dabo operam, quantum in me erit, ut quotidie certius intelligas.

QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

HIERONYMI FALETI DE BELLO SICAMBRICO LIBRI IIII.

AD HERCVLEM ESTENSEM, FERRARIENSIVM PRINCIPEM IIII. ET CARNVTVM I.

INSTRVCTAS acies, atque arma infesta Sicambrum,
Queis uario euentu uexata est Belgica tellus;
Cæsaris & magni lectas in bella cohortes,
Horruit infelix quas terra extrema refusi
Oceani, multo circum perfusa cruore;
Musa mihi memora, & successa ex ordine bella:
Vnde tot undantes spumis furialibus iræ,
Tantus amor ferri, & certandi tanta libido
Mentibus irruerint hominum, pacemq; fugarint.
Et uos, quæ uastas nymphæ Oceanitides undas
Incolitis, pelagoq; æternum ducitis æuum
Securæ, uati iam littora uestra legenti
Este deæ comites, atque aspirate canenti.

Poſtquam regna ferox Gelrhorum Marte ſubegit
Carolus, & rerum tantarum pondera uerſans,
Magnanimus genti impoſuit iuga dura ſuperbæ,
Vulgus iners cæco nutriuit pectore uirus;
Anxia nobilitas pariter de clade futura
Torquetur, tacitoq́; premit ſub corde dolorem,
Ignorans quid agat, ſceleris ueniam ne ſubacto
Aut petat à populo, ſecum ue adſciſcat in armis.
Pœnitet incepti, perpetratiq́; furoris.
(Heu quàm difficile eſt naturæ flectere mores,)
In ſolitum præceps didicit natura reuerti.
Stare loco neſcit gens hæc, mutatur in horas,
Et ſe ferre nequit; tantum male conſcia regni
Inuidia accendit cunctos ad proelia ſæua.
Spes ardens prædæ facit hoc ſitibunda futuræ,
Hinc rapidas quod quiſque ſuas præſumit in iras.
Ah demens facile eſſe putat; quæ cuncta furentum
Perturbant hominum mentes. o dira nocentum
Conſilia, o noſtro non cognita crimina ſæclo.
His tenebris latuere omnes, ſic crimine ab uno
Vna omnes Gelrhi, frenis reſolutaq́; legum
Ira ruit; Iulum, & Cliuum ſic omnibus idem
Hic animi motus, ſic & prorumpit in omne
[illegible] que requirit:

Interea Mauros cupiens reuocare fugaces
Imperio Cæſar, Lybicas conuerſus ad oras
Cærula dum uerſis ſulcat pius æquora remis,
Ac dum prouectus medias bellator in undas
Obſidet Argerium; loris uolat improba laxis
Fama ſuis, claſſem tumidis periiſſe ſub undis.
Hinc primæ ſcelerum cauſæ, ſed peſsima Martis
Semina, quæ ſemper populum allexere rapinis
Heu ualuere nimis: tum longos quærere fines
Agrorum, & propriis extendere rura colonis,
Rura ſub antiquo quondam ſulcata Brabantum
Vomere, & incuruos Belgarum paſſa ligones.
Vt nimias ob opes mores ceſſere rapinis,
Prædaq; & externos luxus ſuaſere penates;
Tunc iræ faciles, tunc & ſcelera iſta nefasq;
Propoſita mercede placent. ſimul ocyus ergo
Nobilitas cum plebe ruit, belli ardor inerti
Exilit, augeturq; aliis; excita inuentus
Inuadunt clypeos, & fixa penatibus arma
Diripiunt, enſes ſcabra rubigine nigros
Sæua in bella parant; quorum pars maxima Gelrhus
Implacatus erat; ſed tanta inuaſit Erynnis
Gelrhorum mentes, magni promptiſsima Galli
Auxilia implorant, tantisq; hunc Martis in undis

Elegere Ducem . placuit fiducia Regi ,
Affectusq; animi non aspernandus , & ultro
Longuallum accersit , sub nutu cuius & armis
Bella gerant Gelrhi . neruus nec defuit illis
Præcipuus belli ; quoniam pius omnia Gallus
Addidit , afflictis præsens qui semper asylum .
Sic quotquot pedites , equitesq; ad bella crearat
Cliuia bellipotens , & quot maris accola Cymber
Arctous gelidi , Gothus & quot sæuus Iulus ;
Vndique Belgarum super ad certamina regno
Huc iussi uenere omnes : sic milite iuncto
Roshemi obsequio cuncti præsentius audent
Ductoris , prædamq; petunt . ille indice flamma
Pandit iter turmis , rapiant iubet omnia , nutu
Rapta trahantq; suo . furor it Vulcanius agris .
Iamq; dies steterat primos uisura furores
Bellorum : stridor lituum , iam rauca tubarum
Murmura , iam peditũq; equitũ graue murmur hiatu
Cœperat ; ad ualidas iam duxerat agmina ductor
Impiger Hocstrati dotatas nomine terras .
Deditus hic prædæ miles spolioq; nitenti ,
Sanguineas à cæde manus compescuit omni .
His onerata furit sub noctem turba cadentem ,
Vix passura diem , rutilumq; nitescere solem .

Ast ubi

Aſt ubi rorantes, ſolito properantior, orbe
Diluerat tenebras ſplendenti lampade Titan;
Omnia conglomerat ſtipatis agmina ſignis
Ductor: & ut primum tenuere ſilentia Gelrhos,
Excipit argutis pronas ſermonibus aures
Armiger alipedis dorſo ſuſpenſus in alto:
Indole ſi dignum patria, ſi ſanguine præſtans
Robur ineſt ueſtris animis, ſi uiuida uirtus;
Spes, precor, audacter duce me componite ueſtras.
Omnia nanque poteſt id inexpugnabile robur,
Illa potens uirtus. totum qui terruit orbem
Magnus Alexander, ſuperauit culmina rupis
Ornithiæ, magna fretus uirtute ſuorum.
Iulius hac etiam populos deuicit & urbes
Cæſar, & hac fretus decus admirabile gentis
Pœnorum, Auſonias cum frangeret Annibal arces.
Hac quoque uos ſimilem cur non præſtabitis orbi
Spemq; decusq; Duces? magni ſub munia Martis,
Munia Gelrhorumq;, immo maiora; Brabantum
Quã (procul haud) cãpis, uicto & ſedeamus ab hoſte
Cernite, iam uacuasq; domos, legesq; ſilentes.
Hoſti non acies caſtris, non arma mouendi
Iam locus eſt preſſo; totis age uiribus arma
Sumite, ſigna Duces uictrice tollite, noſtris

Ite

ite pares uotis omnes : non numina desunt,
Numina polliceor; iam iam mihi summus ab alto
Iuppiter arridet, magnam spemq; addit ituro.
Non ego per tumidas rupes & inhospita cunctis
Saxa, nec aerios iubeo transcendere montes,
Non per hyperboreæ sedis glacialia plaustra,
Per sterilem Lybiam, clausumq; uaporibus axem:
Sed Scaldis pollentis opes, per moenia regno
Non ulli cessura, nouo cessura nec orbi.
Dixerat, at Gelrhi iam fato bella uocante
Secum immensa fremunt animis poscentibus arma.
At ferus alipedum, peditum Roshemius acri
Agmina uectus equo lustrauit fortia ductor.
Nec mora, compositis turmis coiere, Ducemq;
Quisque suũ miles sequitur, sequiturq; maniplum,
Ad muros propero uertentes agmina gressu
Andouerpæos, & ubi fuit aula Gigantis
(Vt memorant) sæuit Belgis, quo tempore scissas
Efferus ille manus medias proiecit in undas
Efferus ille Gigas Scaldis. Quid facta tyranni
Impia, quid cædes memorem, quid uulnera, quid tot
Andouerpæo iactas in flumine dextras?
Vindicis ob gladii facinus, Rex ille superbus
Corpora quin etiam cæcis uiuentia terris

Multa

Multa dabat; ſed paſſa diu iam numina tale
Decreuere nefas, & tantam tollere cladem.
Inter fata diu quærens tam dira iuuentus
Surrexit furiis omnis ſed Belgica iuſtis:
Quorum caſtra Brabon ductabat fortia primus,
Nulla pericla timens, ualidos productus in artus,
Succinctum complexa caput coma ſparſa capillis
Cui riget intortis, libratum culmine pectus
Exilit, ornat honos quem totum Martius, atque
Suſpendit ceruice caput colloq; ſuperbum.
Et iam collecti Belgæ glomerantur in hoſtem,
Iam conferre manus, & decertare parati;
Ilicet ad Scaldis ripas diffunditur omnis
Bellatura cohors, iamq; æmula prodit in arma.
Conueniunt tandem monſtrum ſuper aggere rauci
Fluminis, ex dira multorum ſtrage ſuperbum:
Spumea cui primum rabies hinc inde fluebat
Ex ore, at fremitus atroci dira meatu
Murmura; totius truculentia lumina uultus
Maxima cui ſuberant, totoq; uagantia coelo.
Quem procul ut uidit late ſurgentibus armis
Belgarum noua turba uirum, formidine cuncti
Perculſi dubitant trepida, fugit ilicet omnis:
[illegible] ſumma pericula gaudens

Exercere Brabon, medios tentare furores
Se parat; atque infit: nunc ò nunc nemo ſequatur,
Solus eam, ſolus uincam. Brabon ultimus ergo
Fortis adeſt: quẽ non magni metus undique Martis,
Nec monſtri tenuere minæ quin obuius iret,
Et magno uellet contra certare Giganti.
Tantum robur ineſt animo, & quia neuter in armis
Diſsimilem ſperat, contra ſic impetus urget,
Feſtinantq; ambo, furor undique concitat iras.
Nec mora, tum gemini ualidis heroes in armis
Concurrunt ſimul: atque hic uaſtis intonat armis,
Depulit ille trucem nequicquam umbone Gigãtem,
Alterniſq; fugit ualidos congreſsibus ictus.
Interea iactis inter ſe comminus haſtis,
Inq; hoſtem magnis emiſſam uiribus ornum
Extulit inde Gigas, læuumq; ſuperuolat hoſtis
Aere lapſa latus. ſed non ita miſſa Brabone
Fraxinus in uanum cecidit procera: Gigantis
Quin medium ferro pectus penetrauit acuto:
Vulnere quo monſtrũ moriens procumbit in agros,
Annoſa ut quercus multos durata per annos,
Quam faber, æratam ſtructurus in æquora puppim,
Aeria ſcindit ualida de rupe ſecuri.
Tum fremuere iugis ſiluæ, motiq; repente

comp. ab an= nosa quercu deiecta de rupe

Frondiferi

Frondiferi curuo mutarunt uertice colles;
Nigra Gigantæo quatiuntur tartara lapſis;
Immugit pariter tellus & pontus, & æther.
Quod Brabon ut uita monſtrum ſpoliauit & armis,
Deinde manum abſciſſam medias demerſit in undas.
Vltus lege Brabon, meritas ea dextera pœnas
Præſentes quas fecit habet: dedit ille Perillus
Pœnarum inuentor pœnas quas repperit arte.
Hinc uulgo à manibus iactis Hantuerpia dicta eſt,
Hoc & ab antiquis nomen cepere nepotes,
Et quia ab immani terra eſt erepta Tyranno,
Ex Duce læta ſuo, tali ſub uoce Brabonis
Tota Brabantorum ſignata eſt nomine tellus.
Iam ſtructæ Gelrhorum acies, iunctæq; cohortes
Exierant campis, iam iam prope flumina Scaldis
Vertebat ductor peditumq; equitumq; phalanges.
Atque ſub aeria Brædæ conſederat arce
Auraicus Princeps, rebus ſpes unica lapſis,
Ardenter cupiens patriæ ſuccurrere preſſæ,
Certior his factis ductor, milesq; Sicamber
Intrepide Brædæ circum circum undique campos
Extemplo occludunt celeres hinc ſtrata uiasq;
Præripiunt Belgis, caſtrisq; locantur utrisque.
Talia dum præbent erectis obuia ſignis

Aſpexere ſuis Belgarum ſigna, repente
Agmine denſantur, forteſq; in bella manipli
In uerſum ſtatuunt aciem, nec longe morati
Procedunt campo: (tum claſsica rauca tacebant
Quòd tormenta graui rumpebant æthera bombo)
Hoc tanto impulſu Belgæ tantoq; fragore
Attoniti, arrexere animos, ſignoq; paratus
Dum fremit, atque locũ ſpõdet ſibi quisque priorẽ,
Inſurgunt hoſtes ſubitis congreſsibus, usque
Inuaduntq; manu Belgas dextraq; ſiniſtra:
Incaluere animi parte ex utraque, Sicambræ
Confuſæ occurrunt ſub primo Marte phalanges.
Iam galeæ reſonant, iamq; enſis ſtridet acumen
Ictibus, & ſonitu circum circum undique uaſto
Armorum reboat, ſparſo iam ſanguine campus
Bellantumq; gemit bicolor clangoribus omnis:
Vulnificusq; calybs interficit hunc, globus illum
Plumbeus, ille excuſſus humi mox calcibus auras
Verberat, & corpus anima indignata relinquit.
Crudeſcunt omnes, cedunt, minitantur & inſtant.
Vrget eques pedites, hiq; inclinantur in ictus
Telorum, attolluntq; humiles in uulnera dextras.
Concurrere pares animis, præſenſq; cupido
Ambobus uirtutis, erat fortunaq; in omnes

Aſtabat. Gelrhi in læuam ſua tota reflectunt
Agmina, & à tergo linquunt Titana cadentem,
Quo feriant hoſtem prorſus uaga lumina uultu.
Belga repercuſſus radiis, mox ordine nullo
Turbatur, pedites maiori & mole premuntur.
Succeſſu hinc aſtus alii, incrudeſcere cæde
Hoſtili occipiunt: ſæuus uelut auſter in arctos,
Irruit in Zephiros Eurus, uelut impiger armat
Aeolus hibernas acies, & fulmina pellit.
Iam per arenoſos horrenda ſtrage iacebant
Corpora fuſa uirum campos, iamq; impare pubes
Belgica cedebat numero, ſubitaq; cadens ui
Laxabat ſe ſe; Gelrhi mox acrius inſtant
Attolluntq; animos, geminat uictoria uires:
Non ſecus ut tumidi ſpumantes æquoris undæ,
Irati inter ſe ſi quando prœlia uenti
Vndique ſæua mouent circumfuſo Atlanteo
Alternos agitant ſinuoſa ad littora fluctus.
Vt uidit ſocios infeſto cedere Marti
Acer equo Princeps ualido uolat agmina circum,
Hortatur pedites, equiteſq; in prælia firmat:
Atque hos impauidus compellans uocibus, infit.
Quò fugitis ſocii? pedibus ne fidite ueſtris:
Eſt uia ſanguineo ferro rumpenda per hoſtes.

Quà peditum globus ille minax densissimus urget.
State uiri mecum, per uos & fortia facta
Maiorum, ah patriæ subeat uos æmula laudis
Gloria, perpetuos lucens uictura per annos:
Nunc prece, nunc dictis animũ incendebat acerbis.
Mox auidus pugnæ in medios se proripit hostes,
Infestasq; acies ultrici uerberat ense:
Tertia sed postquam congressi in prælia Belgæ
Expauere iterum, permixti cæde uirorum
Bellantum uertuntur equi, retroq; residunt.
Ast iam uictores Gelrhi, toto agmina circum
Aequore agunt, sed turba fuga laxatur inerti
Belgica. Tum nequiens rebus succurrere egenis,
Belligero sublimis equo non signa nec agmen
Amplius expectat Princeps, uelocior euro
Euolat ad Scaldim: celeri, mora nulla, Sicambri
Sectantur cursu fugientem, atque impete magno
Vna omnes Belgæ & Gelrhi pro mœnibus urbis
Apparent, sed iter spatio breuiore cruentus
Belgicus anticipat, reliquos fert impetus idem.
Nec dum Gelrhorum positus furor ille, sed auctus.
Vtq; lupus pecoris dudum expugnator opimi
In totum sitit inde gregem, cædemq; minatur.
Illi ardore pari nisuq; inuadere muros

Crudescunt

Crudeſcunt animis, penetrataq; tecta ſubire.
At Belgæ rerum ignari, dubiiq; ſequentem
Noctem illam inſomnem cuncti duxere pauentes,
Mœſta nec attonitis ullam dat cura quietem.
Officio tamen usque ſuo ſtat quisque, repoſtos
Pars læues clypeos, & fulgida ſpicula tergent.
Ille humeris de more habilem ſuſpendit & arcum,
Armatur iaculis alius, loricaq; tergo eſt.
Pars tereti fundæ, dextras pars ceſtibus affert,
Noctiuagas rapit ille faces, rapit ille ſagittas.
Telluremq; alii ciſtis, & ſaxa reponunt
Mœnibus, & muri faſtigia ſumma coronant.
Sic omnes inſtant patriæ ſuccurrere preſſæ,
Non ſecus, ut teneros ſi quando in uertice ſaxi
Abſcondit cœlo fœtus Iouis ales aperto,
Occurrens ſerpens lingua uibrante uenenum.
Illa trucem roſtro, & propellens unguibus hoſtem
Excelſum inceſſens, nidi circumuolat orbem.
Haud inter Latios, totq; inter millia ſolus
Belgarum ſtabam uacuus: quin Principis omni
Hærebam nutu, perluſtrans mœnia, & ipſis
Mœnibus oſtendens, nunc quà deducere foſſam,
Quem ue locum ualido deceat præcludere uallo:
Vtq; aditus Belgis ſit notus, & inſcius hoſti:

comp. Aquilae circumuolantis nidi prohibendi serpentem a natis

Oſtendi

Oſtendi interdum Ligures inſiſtere in agmen,
Pulcher ut æquatis decurreret omnibus ordo:
Id non ſub dubia recitant mea carmina laude,
Nam cunctis ſat nota cano. teſtis mihi Princeps
Fortis Ariſcotius, teſtis quoque maximus ille
Auraicæ Princeps decus inſuperabile gentis.
Senſit ut infractos in rectum adſtare Brabantos
Gelrhicus attonitus ductor, decreuit ab urbis
Andouerpææ ſubita obſidione reuerti, &
Louanum antiquam ferro obturbare furenti.
Hic prædam extorquere uirumq; haurire cruorem:
Poſt ubi ab Eoo Titan ſurrexerat ortu
Tertius, & ſolito luſtrarat lumine terram,
Aere cieri omnes iubet atque accingier armis.
Ventum erat, irriguis qua pulcher flexibus amnis
Netha fluit, magnæ eradens Machlinidos arua
Martia, bellorum nunquàm perpeſſa furores.
Hic prope diſpoſitis caſtris exercitus amnem
Conſtitit, & pingues populatur finibus agros
Pars una optata refouet ſua membra quiete,
Altera pars quercus & ligna acciſa ſecuri
Coniungunt cuneis, pontis formamq; patentis
Fune religato efficiunt, maſſamq; coercent.
Labitur illa ratis Gelrhis, mora nulla, per amnem;

Aptaq;

Aptaq; in aduersas traducens agmina ripas
Continuas molita uias opus omne peregit,
Impedimenta trahens belli, sulfurq;, nitrumq;.
Vix cœlum,(ut perhibent) nox atra silẽtibus umbris
Clauserat. in gelida uix languida corpora ripa
Firmarat, solitam cum Mars accensus in iram
Gelrhicus, ardenti cuncta immiscerier igni
Iusserat, & faculis piceis expellere noctem.
Tunc fluuio uicina Vualem cum Duffele, sæuo
Igne micant, media & crepitant uicinia flamma.
Nec manet ulterius, nec plus sua fata moratur,
Asperior festinat iter, quò Dilia pulcher
Mœnia Louani tacita perlabitur unda:
Hæc super in paruo spectans Tritonia uitro
Gelrhorum ingentes superis denunciat iras;
Et subito ingrediens sacri penetralia tecti,
Affatur magnum querulo sermone parentem.
Summe pater, cœli rector, diuumq; hominumq;,
Qui freta, qui terras, atque ignea lumina torques,
Quo sine non tellus campo penderet aperto,
Aeris, & ponto maneat præclusa tumenti,
Nunc audi quàm dira orbem detrudat Erynnis.
Vrbis Diliacæ, nunc muros obsidet hostis
Gelrhicus, heu flammis immiscens omnia: turbat
Phana

Phana ferox, non uxor adeſt cum coniuge tuti,
Hoſpitii non ſaluus honos : temere omnia præceps
Sic aſpernatus, facinus prorumpit in omne :
Fer precor auxilium preſsis, miſerere cadentum,
Vt cuncti agnoſcant quòd ſim Dea, & altitonantis
Filia, Muſarumq; parens, ſubq; ægide magno
In longum tuti ut Morinus, ſtent, Grudius æuum :
Da precor hoc genitor : poſtquam Iunonis in iram,
Hortatu Veneris, Danaos demiſeris orco,
Et contra Aeneadas claris erexeris aſtris :
Tunc ſubter uitreo riſit Venus aurea peplo,
Obſtupuere aliiq; Dei intenta ora tenentes.
Dixerat. Aſt magnus Rex omnipatentis olympi
Agnoſcens primum mentes, animosq; Deorum
Arrectos, ſolio affatur ſic Pallada ab alto.
Quos noſtro hoc ignes regno, quæ ſidera cernis,
Atque axes, quibus ipſe ſuper uerſatur olympus,
Cœlicolasq; omnes, horum ſub numine tellus
Educit uarios non uno tempore motus :
Seu mentes calor inſtigat rapere arma, & ab ipſo
Marte Deo toties ſperatam poſcere pacem.
Quòd ſi bellorum quatiat furor arua Brabantum,
Hæc cœli ratio eſt nulli mutabilis æuo :
En age felici auſpicio modo fata ſequentur,

Atque

Atque aderit (iuro) tempus quo regna Sicambrum
Omnia Diliaco parebunt ſubdita ſceptro :
Carolus & longo tecum dominabitur æuo .
Primus ab Aethiopis ſupra hic trahet agmina Thylē,
Ac fortunato , & felici ab littore ſupra
Iſmara , Biſtoniasq; plagas, Serasq; remotos,
Atque Caledonios lucos , Bactra ultima ſupra :
Sicq; tuis totus reſonabit laudibus orbis ,
Dicerisq; Iouis ſemper digniſsima proles ,
Et tecum doctæ uenient ad ſacra ſorores .
Hæc ubi fata dedit , Martem pater ipſe cruentum ,
Vulcanumq; uocat , genitumq; Atlantide Maia ,
Vtq; Deam ſectentur , ait , felicibus armis .
Addunt ſe Diuæ comites Venus aurea , & ipſe
Alcides , muſisq; ſacer comitatus Apollo .
Illi præcipites liquidum circum æthera lapſi
Iuſſa obeunt , fortem cuncti Tritona ſequentes .
Ipſa triumphali curru ſublimis eburno ,
In Gelrhos maturat iter Louanidos arces .
Iamq; per Eoas ibat Tritonia terras ,
Quà rapidus Ganges , & quà fabuloſus Hydaſpes
Aurifero uerrunt Nyſæos gurgite campos .
Hinc uarias rerum formas , quas florida tellus
Quas freta rauca colūt, linquens poſt terga remotas,

Indomitos uenit usque Scythas, glacialiaq; arua.
Quæ furibundus agit Boreas, quæ sæuus hiatu
Eurus, & hibernis torquet niger imbribus auster.
Iam Scytha, iam Scythiæ latitat tellusq; fretumq;,
Ante oculos crescente solo, quo parturit auras
Felices campus gratosq; aspirat odores.
Hæc loca Hyperborei montes saluberrima cingunt,
Aeternum flatus Zephyro spirante salubres.
Hinc Dea ab Hyrcano linquens freta Caspia monte,
Euolat ad Scythicæ Mœotidis usque paludes:
Quas gelidus Tanais immensis fluctibus auget.
Haud procul apparent Zigæ cum Sarmate fortes,
Errantesq; simul Cottæ, quos Bosphorus arctat
Cimmerius, gelidas surgens nebulosus ad arctos.
Hinc acri nimioq; gelu Dea plaustra reflectens,
Per rauci pontum Euxini atque Acherusia regna,
Aeæasq; domos adit, hic ubi magnus Iason
Abstulit auratum nephelei uelleris agnum.
Inde petit raucis quà Bosphorus æstuat undis
Thracius Euxini, uel quà fluit alta Propontis.
Danubium celerem ex alia rapit alite curru,
Cernit ubi ignaros populos latebrosa uagantes
Per iuga Carnunti, uel per deserta uirentis
Hercyniæ, gelido subter quæ proxima saltu.

Verum

Verum ita digreditur, donec Germania Phœbi
Aemula, & inuicti Martis patet una Quirini.
Iam Belgas metiri oculis feliciaq; arma
Cœperat, hostiles olim aspernata furores:
Sanguine ubi rubuit tellus, Mosa cumq; nataret
Cæde uirum, & caperent inhumata cadauera ripæ.
Et iam Gelrhus equo circumlustrauerat acri
Diliacos muros, iam iam sibi pandere portas
Iusserat, & trepidam prætor iam Grudius urbe
Exierat, pacis ueniam petiturus ab hoste.
Hæc nocte in media cœlo dum Pallas ab alto
Prospicit, ingentis circlo circundata lucis,
Ne trepidate uiri, dixit, noua gaudia porto,
Louani ciues. tum iubila plurima cœlo,
Insonuere uirum, tanto clangore tubarum,
Quanto nec fluctus maris in caua littora pulsi,
Murmurat arboribus aut quanto uentus in altis.
Haud mora, bellipotés tum Mars fuluo æthere uisus
Irarum grauidus liquidas equitare per auras,
Inq; modum diuos mirum componere in agmen.
Atque ubi lustrauit cœlum toto agmine uersis
Lustrauitq; choris, Tritonidos iuit ad arces.
Cernere erat liquidum pendere per aera structas
Hinc acies, diuumq; acies certamen adortas,

compar. clangoris tubarum

Horrendum uisu, & certari comminus armis.
Pierides omnes aderant. micat ægide Pallas,
At curua Phœbus lethalia spicula dextra
Contorquet, clypeo sæuit Marsq; ense recuruo.
Fortis Atlantiades Cyllenide dimicat harpe,
Bombardas Vulcanus rauco iaculaturq; impete glandes,
Emittitq; nouas torrenti è fulmine flammas:
Amphytrioniades nodosum robur, & arcum
Exercet; facibus stat crinem impexa Megæra.
Agnouere Deam postquam Tritonida Belgæ,
Implentes totam lætis è plausibus urbem,
Occurrunt hosti, ruit & glomerata iuuentus
Protinus, exundant ut rupta mole per aruum
Comp. Flumina, uel terras effracto carcere uenti
Inuadunt, dirumq; gerunt per nubila bellum.
Armorum desit nullum genus. hic sude certat,
Hic iacit æratas immenso turbine glandes,
Hic torquet ualido stridentia saxa rotatu,
Atque impulsa leui libratur lancea nexu,
Hic iaculum, nunc ille faces, & lampada flammis
Ardentem iactat rapidis, sed cetera pingui
Vncta pice, & calido nigroq; bitumine fumant.
Hinc longe agnoscens fulgentia Palladis arma,
Diuinosq; arcus, tacite iam ductor abire

Gelrhorum

Gelrhorum nectens, subito uocat æquore pubem.
Sed trepidante fuga per apertos euolat agros
Præcipiti assimilis fluuio atque furentibus austris. comp.
Tunc uirgo in mediam prorumpens ægide turbam
Hunc premit, hunc illumq; hasta clypeoq; lacessit.
Hanc oriens uidit Titan cum surgeret orbi,
Atque fuga Gelrhi clypeum sensere sonantem.
Sed mihi diua refer quis primus & optimus inter
Louanas acies fuerit, quis laude superba
Inter equos equites pedites pedes usque ferendus,
Diuorum è numero meruit felicius omni.
Mos erat in ueterum castris ueterumq; triumphis
Nectere frondenti uictricia tempora quercu,
Infractis fuso potuit qui uiribus hoste
Casurum morti subitæ subducere ciuem.
At tua quæ uirgo pensabunt facta coronæ?
Quis muralis honos? cinget quæ ciuica quercus?
Cum tibi non solum uitam debere fatentur
Tot populi, sed tota Iouis doctissima proles.

LIBRI PRIMI FINIS.

HIERONYMI FALETI DE BELLO SICAMBRICO LIBER SECVNDVS, AD HERCVLEM ESTENSEM, FERRARIENSIVM PRINCIPEM IIII. ET CARNVTVM I.

INTEREA Auraicus feſtino milite Princeps
Agmina Gelrhorũ ſequitur fugientia uictor,
Reginæ iuſſu, totas cui Cæſar habenas
Belgarum tribuit regni, terraq; mariq;.
Aſt, ubi Gelrhorum ductor Roshemius hoſtes
Indutos uidit ſæuos fulgentibus armis,
Belgarumq; acies auidas accedere pugnæ;
Impiger Arduennæ latebroſa per auia lucos
Aduolat, & ſilua pauidus ſe abſcondit opaca,
Agmine proſternens cæcos non deſide ſaltus.
Sciditur hic abies, cumq; orno quercus, & albis
Populus alta comis: longum gemit icta ſecuri
Silua: iubet Gelrhus trabibus nemora ardua cingi.
Quæ tamẽ haud Princeps timuit: nõ hoſte, nec armis
Territus, in ſiluæ fauces erumpit aperto
Marte citus, Gelrhos paſsim per deuia quærens.
Vt canis umbroſis occultos montibus apros
Inſequitur, uel calle feras rabioſus opaco,

Dum

Dum uolat huc illuc cursu indefessus, & acri
Nare sagax, uigili uestigia captat odore;
Sic ruit in Gelrhum Princeps letalibus armis.
Ille per & colles & densos abiete saltus
Arduennæ haud segnis fines præteruolat omnes,
Atque nouos captans cursus captansq; recursus,
Lucemburgiacas tandem peruenit ad oras.
Iam cepere fugam Gelrhi, Gallisq; timorem
Gelrhorum incussit metus, at fortuna ruebat
Belgica, uertebatq; in Gallos agmina uictrix.
Hic nouus Auraici gliscebat Principis ardor
Cædibus, & dextra maiorum æquare uigorem.
Clara ubi magnanimi fulserunt Principis arma,
Protinus Iuodium munit Roshemius, atque
Euolat ad Gallum reliquo cum milite pernix.
Haud mora, signa loco, collis quà despicit arcem
Iuodii, Princeps dimensaq; castra locauit.
Iuppiter è cœlo postquam Saturnius iras
Principis indomitas uidit, tum uertice nudo
Protinus insanos imbres, permixtaq; nimbis
Fulmina, & excussos demisit flatibus ignes.
Clara dies fugit ipsa polo, cœlumq; profundis
Clauditur in tenebris, & cæco uelat amictu
Cærula nox terras, & in imbrem soluitur aer.

imbrium fulmi nis et noctis

Hinc

Hinc Notus, hinc Aquilo, Boreas hinc, Africus inde
Bella mouent, ſimul & nautis infenſus Orion.
Intonuere lacus ſtygii, merſæq; tenebris
Fulmina ſenſerunt Herebææ iacta ſorores.
Caucaſus, & Rhodope ſenſit tunc, Pindus, & Atlas
Cœlifer, & Cilicis ſenſere cacumina Tauri.
Belgicus at ductor pluuia concuſſus iniqua
Voluebat nunc huc nunc illuc pectore curas,
Incertus quid agat, madidis ne reſidat in aruis,
An ne petat Cliuos, fortes ue capeſſat Iulos.
Tandem poſt uentos, pluuias, cœliq; fragorem
Non hoſte in nimbis uiſo, mora nulla, maniplos
Conuocat, & fortes extemplo ad ſigna cohortes.
Tu nimbis debes nimium rapidisq; procellis
Iuodium, miſeros ſed lux non poſtera Cliuos
Eripiet Belgis, nec lux ea prorſus Iulos.
Iam uolucri Princeps producens agmina paſſu
Lucemburgiacis ſe ſe referebat ab oris
Belliger, Iuodii tergo tellure relicta;
Atque in Iuliacos uexilla uolantia campos
Flectebat, quò præda ſuos atque ira uocabat:
Ecce iubar claro nitidum ſuffulſit in axe, aer serenatus
Attollens radios mundo, & duo pignora Ledæ,
Et nituit denſis purgatus nubibus aer,

Nullaq;

Nullaq; iam ſuperos mites habuiſſe putares
Fulmina, nec liquido diſploſa tonitrua cœlo.
Agnouere Deum Belgæ, lætoq; tumultu,
Et paſſas omnes tendunt ad ſidera palmas.
Poſt ubi Iuliacum Cliuenſumq; arua cohortes
Fortibus intrarunt nunquam mentita colonis,
Erumpunt actæ fœcunda per arua, coruſco
Omnia uaſtantes igni: furit undique miles.
Ac uelut excelſo rapidus de uertice torrens
Præcipitat, uolucriq; rapit ſecum obuia lapſu,
Cum ſonitu, & raucis late fragor intonat undis,
Strage data nemorum, tellus ſiluæq; trahuntur;
Qui careat flamma, nullus locus: ardet in auras
Et domus, & latis manant incendia ſiluis,
Paſcuntur donis cerealibus undique flammæ:
Pabula dant ſonitum in triſtes conuerſa fauillas,
Obcæcat terras fumi caligo, polumq;.
Atque ea dum uariis permixtus triſtia flammis
Mulciber alternat, tanti ſubit intima caſus
Corda pauor, tantusq; metus, turbarat Iulos
Combuſta regione, ſuis laribusq; relictis,
Quà duxere pedes, celeri ſe credere planta
Spectaſſes, tacitosq; nigra ſe condere ualle:
Non ſecus ac Phrygiæ uenator montibus Idæ

E Cum

Cum luſtra exagitat ſilueſtribus obſita dumis,
Errantem imponit rapidumq́; cubilibus ignem;
Dum gliſcente malo flammam Vulcanus edacem
Colligit, & multo diffundit lumina fumo,
Lethali piceus uortex ad ſidera peſte
Voluitur, & flammis late infima quæque relucent.
Tunc latebris fugere feræ, fugere iuuenci
Per iuga, per colles, latebras, tutosq́; receptus,
Atque una fugiunt uolucres è frondibus omnes.
Hic primo ingreſſu rapiuntur militis urbes
Innumeræ, patrio ſine defenſore relictæ.
Zittertum hinc, atque hinc ualidis Hinſpergia muris,
Dura ſuo aſſurgens uallo, & Zutteria, culti
Iulia diues agri, rapiuntur, & obuia paſsim
Oppida, & agreſtes uillæ pagiq́; patentes.
Iuliacum poſtquam ceſsit gens aſpera Belgis,
Atque dati rerum fræni: tunc impiger armis
Belgarum ductor tectisq́; opibusq́; potitus
Ipſe ſuo arbitrio, patrias remeauit ad oras.
Hæc ubi uiſa ſuo Gelrhi mandata ferentes
Ductori expediunt, patriæq́; pericula pandunt:
Belgica quòd ruerint arma, exactiq́; laborent
Principis aduentu, cuius truculentia facta
Commemorant, cladesq́; datas, ſtragesq́; necesq́;:

Arſerit,

Arſerit, & quantum ſceleratis Iulia flammis.
His dictis, largos effundunt pectore fletus,
Multaq; Gelrhorum ductor ſuſpiria traxit.
Atque dolore furens, irarum fluctuat æſtu;
Hæc ſecum infrendens, patiar conſurgere Belgas
In patriam, & Iulis, Cliuisq; imponere legem?
Quos modo ſub pedibus felici Marte tenebam,
Quos æquaſſe ſolo potui, iam ſanguine fuſo,
Proſtratisq; opibus, populatis undique campis.
Hæc ubi fatus erat, tumidam conſurgit in iram,
Atque ait en Belgas noſtra ſubuertere dextra
Quis uetat audaces, rurſusq; ad mœnia greſſum
Tendere Louani, rapidumq; inuadere Scaldim?
Ibo, & Iuliacum relegens monumenta penatum,
Qua uia iam uobis nota eſt, optatus ad arua
Pinguia Gelrhorum remeabo, atque omnia ueſtro
Sternentur nunc ſigna Duci, noua Belgica, nobis
Non una perculſa fuga: quid? proſpera mecum
Vertantur ſigna, & noſtris è mœnibus hoſtem
Enitamur, ait, patriaq; expellere terra.
Gelrhica Cæſareo dabitur prouincia ſceptro?
Quam non uictrices acies retinere Philippi,
Non potuere patris, poſt longi tempora belli:
Nec mora, prægrediens minitantia ſigna quieto

Agmine Iuliacos se se referebat in agros,
Furta uiæ huc illuc cæcæ & pallentibus umbris
Obliquos inter flexus nocturna legebat:
Qualis flexilibus ludit reuolutus in undis
Dum ruit, ambiguo refluitq; per inuia lapsu
Occurrens Phrygio sibimet Mæander ab orbe.
Descriptio noctis et diei
Tempus erat, tenebræ quo muta silentia habebant,
Quo Tartesiaco Phœbus se mergere fluctu
Cœperat occiduus, quà iam contrarius axis
Aspicit Antipodas, sua qui uestigia nostris
Opponunt pedibus, minitantes uertice casum.
Post ubi fulserunt rutilantis lumina solis,
Et terris rubuit roseis Aurora capillis,
Flammantes excussa comas, & ab orbe renato
Ignea Lucifero fugerunt astra relicto,
Hic iter inceptum peragit gressumq; repente
Dirigit in Duram, quam miles Belgicus olim
Ceperat, & fido seruabat robore muros.
Atque ubi uenerunt propius Durentia Gelrhi
Mœnia præcingunt subitis exterrita castris.
Iamq; diu suberat duræ Roshemius urbi
Ductor, & insano crudelia bella parabat
Marte ferox: fessi at Belgæ, dum nulla uiderent
Agmina, & optatas sociis procul esse phalanges;

Extimuere

Extimuere necem pauidi, pacemq; precantur.
Euasisse datum est, & ubi data fœdera Belgis,
Ac promissa fides, secum portantq; feruntq;
Pacis opes Belgæ, clypeosq; & pila simulq;
Fulgentes rapiunt enses & pondera ferri.
Dum mouet à Dura peditumq; equitumq; maniplos
Gelrhus, & Hinsbergam bellum meditatur ad urbē,
Audit Arembergi uacuam sine militis arcem
Præsidio, fremit arma ferox hac uoce iuuentus,
Et subito admotis inimica ad mœnia scalis
Aerios scandunt muros, atque omnia uastant:
Mœnia iandudum fortes Hinsbergica Belgæ
Seruabant, hosti ingressusq; aditusq; uetabant.
Sed uesana fames potusq; iniuria cunctos
Torquebat miseros magno discrimine uitæ.
At Regina Duci, Gelrhorum experta furorem,
Mandat Ariscotio, præsens succurrat egenis
Ciuibus, & pressos hostili liberet ense.
Ecce inter Belgas Dux infelicibus armis
Bella parat, medios primus ruiturus in hostes.
Nec mora, concurrunt equites peditesq; parati
In media caram pugna dimittere uitam.
Post ubi fulserunt uexilla adaperta Sicambris,
Et lituum clangor fremuit sonitusq; tubarum,
Gelrhus

Gelrhus ab ardenti mox obſidione recedit.
Aſt alii excubias renouant,& in urbe reponunt
Tela,globos,Bacchum, Cererẽ, ſulphurq; nitrumq;,
Mox in belligeram Zittertum flectitur agmen.
Vix medio excuſſus miles proceſſerat agro
Belgicus, optatos poterat collisq; propinqui
Explorare locos, nec adhuc ſua figere caſtra:
Agmina fallaci cum flectit fortia gyro
Certantum, cum ductor equos detorſerat acres
Gelrhicus in Belgas, expectans efferus hoſtem.
Verum ubi commoto uiderunt puluere Gelrhos
Ferre gradum Belgæ, reſonareq; uocibus auras,
En tela arripiunt omnes, ſignumq; cruenti
Expoſcunt Martis nullo terrore; furentes,
Hic prædæ hic patriæ ſupremæ laudis amore:
Nec mora raucisono tellus gemit excita cornu,
Ac una hinnitu campus ſonat ictus aperto
Quadrupedum, propius ſimul hinc mox impia bella
Occipiunt Belgæ primum, comitantibus alis
Cornipedum rapidisq; inuadunt protinus hoſtem.
Iam ſæuæ igneſcunt ſpumis furialibus iræ.
Dimicat hic gladio, clypeis hic obuius inſtat,
Tormentis agit alter atrox non irrita raucis
Vulnera, ſulphureis componens lumina flammis.

Incurrunt

Incurrunt acies magnis ſtridoribus, atque
Auditur ſtrepitus mediis è uallibus ingens.
Iamq; fatiſcebant Gelrhi, uiresq; animosq;
Deſpondere metu, nec iam certare ualebant;
Cum Pater omnipotens Gelrhorum languida cernēs
Cuncta fuga, Belgasq; odiis immane frementes;
Euocat è latebris Eurumq; Notumq; furentes,
Vt cæca inuoluant totum caligine cœtum;
Irarum donec furiæ, cædisq; cupido
Subſideat Belgis, & dira piacula purgent.
Ante oculos Boreas ruit acri impulſus ab Auſtro
Pleiadas excutiens, niuibusq; madentibus imbrem.
Intonuit terra, & tonitru dedit icta fragorem.
Bellantes nouus horror habet, ſuſpenſus in auras.
Hinc ſonipes ſummo uix tenuia puluere ſignat:
Hinc gemitus, furor hinc, illinc cædesq; fugæq;
Belgarum largo tellus madefacta cruore eſt.
Solus Ariſcotius manet imperterritus heros
Sub niue, ſub rabie uentorum: Qualis olympi
Suſtentator Athos, patulo uel quercus in agro
Stat pluuiæ non fracta minis, radicibus hærens,
Hibernis quoties nimbis tonat humidus æther.
Cum uero pedites aduerſis prœlia Belgæ
Horrentiq; gelu niuibus non æqua uiderent,

Præcipitante

Præcipitante fuga per apertos agmina campos,
Sparsa trahũt, miserosq; equites in morte relinquũt.
Non animi tamen ipse sui decorisq; suorum
Fortis Ariscotius Princeps oblitus, at ardens
Arma mouet: quaq; infensum iaculatur in hostem,
Et spumantis equi trepidantia corda fatigat,
Hic mutata fugæ species, equitesq; sequentes
Pone necat Gelrhos fugientes impete diro,
Sicut Achæmenius pennatis Persa sagittis
Vulnerat à tergo, minitantes dum fugit hostes.
Gelrhorum hic acies, Gothus hic, & Cymber Iulus,
Danica procumbit pubes: hinc Belgica, & illinc
Martia signa iacent, Morinus quæ belliger et quæ
Flandrenses populi fortesq; tulere Brabanti.
Dum feruet cruor, ac properatæ mortis imago
Vndique cædentum fuerat pariterq; ruentum,
Qui modo Zitterti seruabat mœnia miles
Admiratur, opem Belgisq; afferre laborat.
Qualis Chaonia sub quercu aut ilice pastor
Explorat uisu certamina longa draconum,
Noxia dum triplici contorquent sibila lingua,
Seq; rotant spiris suffecti lumina flammis:
Protinus accurrit, uictumq; superuolat hostem.
Sic auidus prædæ miles Zittericus audax

Pennatæ

Pennatæ ſimilis uolucri, tulit intus in urbem,
Bellantum galeas, clypeos, tormenta, ſimulq;
Tegmina quadrupedum conflictu fracta recenti.
Vlterius Belgæ magno in diſcrimine belli
Hoſtiles ictus tempeſtatemq; ferebant.
Non erat illa dies finem latura, pauentes,
Ni iurata uagi uiolaſſent fœdera Martis,
Suaſiſſentq; fugam pedites ex agmine turpem.
Feſſus Ariſcotius princeps certamina linquit
Cornipede euectus celeri; noctiſq; per umbram
Ad Traiectenſes tendit magno impete muros.
Iam quiſque oſtentat prædam, fruiturq; triumpho
Gelrhus honorato, paſsim uictoria narrat
Qualis, & unde ſibi parta eſt; uolat æmula uirtus
Certatim, & uires, animum, & ſpes cuique miniſtrat.
Illic (ut perhibent) uix intempeſta tenebat
Nox medios curſus, cum miles Belgicus arcem
Suſteriam linquit, fortemq; pauentibus armis
Hinſpergam petit, atque abiens ſimul arma reportat.
Protinus hinc Gelrhi uictricia ſigna ſequuti,
Ne ſua torpeſcant ſurgente per ocia luxu
Corpora, conſurgunt omnes bellare parati,
Et Limburgenſes populantur curſibus agros.
Hinc iter accelerant dumoſa per arua, furentes

Atque Cemiterium dura obſidione coronant.
Dumq́; his intenti, miles Hinspergicus urbem
Exierat tacito conſternens impete pagos,
Hæc & plura: iubent Gelrhi ſub ſigna referri
Agmina, & infeſtum præcludunt mœnibus hoſtem.
Interea Princeps, fractis ſpes unica rebus,
Auraicus, nunquam rigido qui ceſſerat hoſti,
Intrepidos armat Belgas, non ipſe moratur
Amplius acer equos, ſed abit tot millia contra
Gelrhorum, ſocios & obſidione redemit:
Nec mora, iam cunctis prior euolat agmine aperto
Auraicus Princeps equitum circundatus alis.
Nec longum progreſſus iter, cum mœnia fortis
Hinsbergæ propius cingentem conſpicit hoſtem.
Poſtquam permiſſum eſt inuadere caſtra Sicambrũ,
Armiferas cogit numeroſa in tela phalanges,
Artifici ſimilis, ualidos qui forte laborat
Aedificare domos, ſpreturas fulmen & himbres.
Non acies aliter cogit, ſic ordine certo
Addenſat clypeis clypeos, lateri latus aptat.
Inde nouas nactus duplicato robore uires
Belgarum ductor, cunctis animoſior hoſtes
Euolat ad trepidos, & proterit agmina primus.
Sicut in armentum Lybici per iugera campi

Impaſto

Impaſto ruit ore leo uiolenter, & ungue A Leoni impasto
Sternit humi Taurum, pauidũ pecus, atque iuuencũ. contra Taurum
His ergo attoniti magna in formidine Gelrhi,
Cum ſpes non aliter ſupereſſet certa ſalutis,
Diffugere citi rapido per deuia curſu,
Aenea linquentes Belgis tormenta, globosq;
Et quicquid rigidi Martis reperitur in uſus.
Dumq; fugam Gelrhi media in formidine quærunt,
Ecce fero Marti ſimilis modo Belgicus heros,
Inſequitur prompto fugientes milite turmas.
Vt uiridi in campo rabidum ſi armenta coloni Comp. a Colonis inse-
Aſpexere lupum populantem bucera, facto quentib. lupum ad
Agmine contortis faculis hinc inde feruntur, antrum
Immanemq; ſuum cuncti iaculantur in hoſtem,
Ille pauens timido uacuum pede fugit in antrum:
Aut quando accipiter rigido ferus ungue columbam Accipitri inse-
Inſequitur præceps cœlo delapſus ab alto. quentis columbam
Iam trepidi patriæ Gelrhi de rebus agebant
Inter ſe dubii, Cliui hinc, Gotus inde, et Iulus,
Magnanimũ accedũt patriæ dominumq; Ducemq;;
Et prior egregia quidam de gente Sicambrum
Ductor ait, Gelrhos memini ſub uertice fortes
Sidereo extolli, Iulum, Cliuumq; phalanges.
Nunc nobis ſtat uerſa retro fortuna; quid ergo

Turpiter imbelles rapient nunc omnia Belgæ?
Dicam equidem quæ ſit tantorum cauſa malorum.
Abfuit inuictis uir formidabilis armis
Ille inquam noſter uerus Mauortis alumnus,
Tuta ſalus patriæ, Batauos qui pellere regno
Inſtabat, triſtem qui multa immiſit ad Orcum
Corpora Belgarum: Gelrhis loca dedita rurſus
Infeſtant hoſtes, queis tantus ſanguinis ardor,
Vt iam quadrupedum numerus peditumq; latebris
Emicet è ſolitis, iam iam caput exerit omnis.
Ferueat in Belgas iterum Roshemius acres,
Des, petimus, dubias & res amplectere noſtras.
Non quiſquam ingenio melior, non fortior armis,
Robore non animi, non ui præſtantior alter;
Seu moderatur equi uolucris ſpumantia fræna,
Cretenſi de more leuem ſeu doctius arcum
Tendit, & obſtrepero plumbi iacit impete glandes,
Seu uelit excelſas arces, ſeu caſtra tueri,
Seu uelit obſeſſas urbes, nemo acrius inſtat.
Hæc poſtquam audiſſet, ſuſpiria traxit ab imo
Pectore, & hæc Cliuum Dominus ſic reddidit ore.
Maturate citi, dabitur quem quæritis, eia
Pergite, & incæptos in longum ferte triumphos;
Vix hæc finierat, ſolitis cum protinus armis

Mouit

Mouit in hoſtiles peditem Roshemius oras.
Inq́; locos uenere nouis Amsfordia muris
Qua micat, & pingui locuples exultat in agro.
Tum neque miles erat, nec erant ea mœnia circum
Præſidiis munita ſuis, Amsfordia pubes
Gelrhorum uaſtas populatum acceſſerat oras.
Nec prius ad patrias ædes rediere relictas,
Quàm foret ingreſſus miſeram Roshemius urbem.
Inde iter accelerans Helmundam oppreſsit opimam,
Conſimili diues ceciditq́; Endouia caſu.
Talia cum dubiis permiſcet Belgicus armis
Mars, una Belgæ, ex alia ſe in bella parabant
Arma reſumentes Gelrhi ſociæq́; phalanges.
Interea uario tellus hiſpana tumultu
Feruebat, uiresq́; ſuas hinc inde legebat.
In ſpes ergo auidas erecta Aenotria pubes
Ac Genua egrediens hiſpanas nauit ad oras.
Atque ubi ſe medio claſsis tulit æquore, diues
Pacatos muris quà Barchinonia fluctus
Applicat, & uenti uela impleuere ſecundi,
Protinus edixit nautas conſidere tranſtris
Cæſar, & in Ligurum diuertere littora proras.
Haud mora iuſſa citi expediunt, ac Carolus unam
Conſcendens puppim, remis freta cærula ſulcat,

Nec fuit hesperiis maior naualibus ulla,
Egressa aut Ligurum melior non altera portus.
Nam quater hæc ualidis centum quino ordine remis
Verrebat pontum, strepitusq; sonante tubarum
Scyllæi tacuere canes, & murmura Siren
Dulcia compresit, queis se Delphines in auras
Tollere sunt ausi nantes super æquora curui:
Personat hic ualido pulsatus remige pontus,
Insultans pariter raucis Neptunus in undis
Extimuit, lubricæ simul expauere sorores.
Iamq; salum attigerat quà nunc Masilia celsis
Erigitur muris, portuq; superba capaci.
Eminet hinc curuo turris Taurentia portu.
Mox & in Herensis nudata cacumina rupis
Flectit, & ad tutum sinuosi littoris antrum.
Stare iubet classemq; suam turbamq; sequentum
(Nauta tumescentes auidus dum colligit undas)
Cæsar, & antiquas abiturus conspicit ædes.
Huc ubi diffusis uentus spirauit habenis,
(Mitis enim tum pontus erat) retinacula clasis
Nauita rostratæ soluit contorta, triremes
Induxit leuis aura citas, impulsaq; remis
Vnda sonat ualidis, simul & scopulosa resedit
Insula, & è medio uix cernitur Olbia saxo.

Inde legit pontum læua, longoq; ſubintrans
Aequora circuitu, quibus eſt elata ſub auras
Nicea, & Herculeo placuit conſidere portu,
Viſa fuit nautis cum protinus utraque tellus
Aequoreos linquens portus, caſtrumq; Monœci
Italiam tenuit, Ligurumq; ad littora fertur.
Hic Albiminii leua terrasq; fretumq;,
Atque Albingaunum fugit, & Naulentia ſaxa.
Sabatios donec portus clarasq; Sauonæ
Conſpiceret ſedes, & odora roſaria, Cæſar.
Huc ubi delatus, paſsim iuuenumq; ſenumq;,
Obuia turba ruit, ſimul & gratantur eunti.
Sacra ſalutiferi fuerant myſteria Chriſti
Corporis, aſsiduo ritu renouata quotannis.
Miratur Cæſar plauſus, matrumq; patrumq;,
Miratur cultum, ſolennesq; ordine pompas,
Et quos rura dabant uernantes roſcida flores:
Miratur molem, delubraq; ditia diuum,
Siue piæ matris templum uenerabile ſpectat
Aequoris ad littus Mariæ, ſeu templa ſubintrat
Cordigeri patris donis repleta ſuperbis;
Quæ pia magnanimi ciues, quæ regia Sixtus,
Atque nepos Sixti patriæ donarat Iulus.
Turrigerasq; domos, celſam miratur & arcem

Ardua

Ardua coctilibus quæ surgit in aera muris.
Post ubi puniceo rutilans se se extulit ortu,
Et Dea Luciferum protrusit lutea Solem,
Mox legit audaces Ligures, Genuam citus intrat.
Quaq; per oppositas puppis uaga ducitur undas,
Hinc uiolæ, hinc tyrsi molles, hinc rosmaris, inde
Lilia per ripas redolent uernantia, & illinc
Flos hiat Oebalius, crocus, & Cæphisia proles,
Et rosa, tum laurus, tum nardi mollis aristæ;
Vincebant biferi quæ cuncta rosaria P esti.
Vix Genuam Ligurum Cæsar peruenerat urbem
Remigio celeri, portusq; intrarat apertos,
Cum fera sulphureas subito tormenta fauillas
Raucisonis agerent cœlum terrentia bombis.
Tunc superum furua latuit caligine sedes,
Et Deus ignifero uix quisquam sistere in axe est
Ausus; & è solita uariarunt sidera luce.
Tot surgunt nebulæ, tantusq; ad sidera fumus
Erigitur, iactu combusti pulueris acri.
Inde per æquoream turmalis buccina classem
Littora uoce replens cantu resonauit amœno.
Ast alia populus pariter corybantia dextra
Cymbala pulsabant docta, terraq; mariq;,
Dulcisonasq; tubas, intortaq; cornua linguis.

Concinno

Concinno terras pelagi gens humida cantu
Dum Ligurum ſentit reſonare per aera, ponto
Exilit, & freti ſonitus dulcedine piſces
Fluctigenæ, ſalſo ſalientes æquore, raucum
Carpebant littus, cumulosq; madentis arenæ.
Præterea uolucres, nulloq; obſtante tumultu,
Montiuagæ uenere feræ plaudente tubarum
Murmure, fluctiuagos inter piſcesq; ferasq;
Numina cæruleo ſub utroque iacentia ponto.
Cernere erat curuo ſquamoſos littore piſces
Admiſtis ſaliiſſe feris, pictasq; uolucres
Decurriſſe ſalo, pariter noua gaudia dantes.
Ipſæ etiam ſolidæ cautes, ipſiq; uidentur
Vertice feſtiuo motu colludere montes,
Signaq; lætitiæ dare perſona littora circum.
Hæc ubi uidiſſet Cæſar de nauibus altis,
Deſilit in terram quà Melphi in Principis ædes
Itur, Cæſareæ ſummus qui claſsis habenas
Dirigit, æquoreis alter Neptunus in undis.
Inde triumphales ramis frondentibus arcus
Cernere erat, paſsim flores, & olentia ſerta,
Quæ pelagi nymphæ ſimul extruxere profundi.
Hinc in magnificas ingreſſus Principis ædes
Cæſar, magnanimum heroum comitante corona,

Aurea textilibus miratur ſtamina filis,
Flandrica conſpicuisq; aulæa intexta figuris.
Quid Babilon ueſtes, aut quas Nilotica pinxit
Memphis acu, quidue Elis ebur, quid Hiberia gēmas
Iactet, & eois ortum de fontibus aurum.
Aſiriis fulget ſpatioſa tapetibus inde
Porticus, aurata penitus teſtudine lucens,
Cernit ubi aerias nymphas, & matris aquoſæ
Numina, Romuleos proceres, trabeataq; ſceptri
Agmina Cæſarei, Liguresq; ex ordine pictos,
Et ueterum cæras, ærisq; auriq; figuras,
Quæ nec Phidiaca dextra, nec ab arte Myronis,
Nec Polycletea cupiant habuiſſe uigorem.
Germanæ hinc coeunt acies, hinc Itala pubes,
Belliger hinc alia crudelia funera Mauors
Excitat, & Turcas infeſtat morte nefandos.
Hinc uidet egregias ad ſidera ſumma columnas,
Quæ fulcire queant labentis culmina cœli,
Amphitryoniadæ magnoq; Atlante remiſſo.
Aſpicit ex alia Genuæ candentia ſaxis
Mœnia, & in cœlum celſas aſcendere turres.
Oedipodionias taceat modo fabula Thebas,
Et ſimul Iliacæ taceat modo conditor urbis,
Seu fuit æquoreus pater, aut citharœdus Apollo.

Hæc

Hæc decus omne tibi rapuit, cariosa uetustas,
Vrbs, & inexhaustæ septenæ nomina famæ.
Dura in rupe sedens spernit tormenta; minasq;
Martis, & hostiles prohibet de littore puppes.
Quis, precor, hanc tãtam murorum attollere molem
In cœlum posset? qualem uix ausa fuisset
Pace fruens clauso Romana potentia Iano.
Mœnia non Babilon rapidis pulsata quadrigis
Conferat, aut uasti molem Rhodos alta colossi,
Non Mausolei cælamina magna sepulcri
Caria, Pyramides iactet non ipsa Canopus.
Hæc non coctilibus, quales Babilonica quondam
Vrbs habuit, muris, sed duro marmore, & altis
Saxorum aggeribus tollit pinnacula in auras,
Adq; maris furias duplici munimine cincta,
Tutam agit expulso Martis discrimine pacem.
Hæc sunt quæ Genuæ præconia soluimus urbi:
Alcides, superant tua sed modo facta: nec ausim
Complecti decus omne tuum. nam copia rerum
Ferret in immensum, nec haberent carmina finem.

LIBRI SECVNDI FINIS.

HIERONYMI FALETI
DE BELLO SICAMBRICO
LIBER TERTIVS,
AD HERCVLEM ESTENSEM,
FERRARIENSIVM PRINCIPEM IIII.
ET CARNVTVM I.

CAESAR ut aſpexit plauſus, utq; ardua faſtu
Mœnia regali miratus; conuocat omnes
Heroas, rebus ſtatuens occurrere lapſis.
Ecce nouum decus Heſperiæ, noua gloria terris
Daualus, & poſt hunc Nereo par, Marte ſecundus
Auria: tum bello fortis Gonzaghius heros
Acceſsit, trutina Siculos dum rexerat æqua:
Inde Columnenſis Stephanus uenit, atque Camillus,
Ambo militiæ inſignes, amboq; potentes.
Dux aderat Camerina tuus Farneſius, alter
Et frater roſei decoratus honore galeri.
Vndique legati properant ab utraque remoti
Parte poli, quos Sena ferax, quos libera Luca,
Pertenopes regnum triplex, quos urbis aquoſæ
Emiſere patres ſummi, Syllanaq; Thuſco
Vrbs celebrata ſolo, patria & cantata Maroni,
Et Phaetontæi Ferraria præpete curſu
Cincta Padi: queis Roma ſuos atque Inſuber addit.

Parte

Parte alia Morinusq; ferox, fortesq; Brabanti,
Et Batauus felix, diuesq; Britannia uasto
Interclusa mari, nostris & dissita terris.
Pars cumulat laudes, metuens pars altera, Belgis
Pro miseris hortantur eat. sic clausa cruento
Milite reclusas poterunt iam pandere portas
Oppida, ab hostili iamq; obsidione resolui.
Has inter uoces lacrymosior aduolat alter
Nuncius, armatos Cliuos, & castra moueri
Gelrhica, deletas acies, prostrata canebat
Agmina, Diliacos fœdari cædibus agros.
Ex alia armigeros Gallos nunc tendere cursum
In Morinos, & nunc hostes descendere ad oras
Lucemburgenses, Phrisios quoque nauibus amplis
Surgere siluicolas, & Danos bella parantes
Rege nouo, Batauis nec iam reuocabile damnum.
His motus Cæsar, Ticinas tendit ad arces,
Porciferam linquens, scissis qui spumifer undis
In mare præcipitat prosternens obuia cursu:
Aruaq; Dertonæ, rauco quà perstrepit ore
Scriuia, qui canibus, ceruoq; fugacior ibat:
Ingrediturq; Padum, grauidis qui perfluit undis,
Ordine confusus, flauaq; inspersus arena.
Protinus oppositas miles traiectus in oras
Exhaurit

Exhaurit liquido lymphas è flumine: dulci
Oblectata thymo credas examina, Reges
Mellea castra mouent ubi tempore ueris in Hybla.
Hinc ubi digreditur, Ticini Cæsar ad amnem
Illico tunc Papiæ fines urbemq; subintrat.
Ne differret iter, turbatis undique rebus,
Puluerulenta petit prædiuitis arua Cremonæ.
Maximus Antistes Bussetti accesserat arcem
Paulus: quò Cæsar gressus direxit, ut una
Consulerent rebus totum turbantibus orbem.
Huc ubi peruenit, pedibus dedit oscula sacris
Carolus, amplexus fiunt, & uterque resedit
Sedibus: hinc tacito tandem sermone fruuntur.
Sancte parens, tum Cæsar ait, quo sospite, Christi
Posse fidem lædi nunquam, neque regna potentis
Europæ credam, inuisos tot passa tyrannos;
Aspice, quæso, pater, quàm sors inopina cruentum
Ostentet bellum, quanta mihi mole latentes
Insidias, quantisq; nouis insultibus audet
Gallus atrox. iterum surrexit Gelrhia, tantum
Ausa nefas, sociasq; adiunxit Iulia dextras,
Vnanimiq; meos populantur fœdere campos.
Nunc duros Morinum casus, nunc prœlia, cædes,
Nunc fera Turcarum memorabat facta tyranni.

Da, precor, auxilium miseris. pro nomine tanti
Exiguæ imperii uires: opulenta merenti
Sunt tibi regna pater, tibi gens non territa Marte.
Vtq; nihil metuat Turcas mea dextra profanos,
Hoc prohibeto nefas, his nunc minitantibus obsta:
Sin secus, imperium non æquis uiribus omne
Succumbat, metuo, Romani nominis hosti.
Hæc ubi dicta dedit; monitis exterritus infit
Sic pater. (ah uoci uix ah laxata remisit
Fræna dolor) Quæ bella refers, quas maxime clades?
Talibus insidiis ante fortuna tuosq;
Insequitur? sanctæ uiolarunt fœdera pacis
Gallus atrox, Danus, Iulus, Gotus, atque Sicāber?
Non ego nunc acies tradam, quas Martius optas.
Pontifici nullos contra meditarier arma
Hic licet, aduersus Christi nisi nominis hostes.
Ne frustra uideare tamen petiisse; nepotem
Hunc, generumq; tuum damus inuictissime Cæsar.
Assuescat, graue Martis opus, fera bella magistro
Militiamq; pati sub te, tua cernere facta.
At tu macte nepos cunctis audentior ibis.
Turpe latens uirtus: quid enim submersa tenebris
Proderit obscuris, nisi toto luceat orbe?
Talibus, atque aliis longas sermonibus horas

Inter

Inter ſe triduo Paulus, Cæſarq; trahebant.
Illico contendit Parmam ſanctiſsimus urbem:
Carolus extenſis ſignis petit alta Cremonæ
Mœnia, cœlicolas prius in ſua uota precatus.
Vndique tum fremuit Latium, uarioq; repletur
Murmure, & incipiunt ardenti Marte cieri
Agmina, ductores peditumq; equitumq; leguntur,
Quisque ſuas acies iam colligit impiger, atque
Cura ſubit multas hinc illinc iungere gentes.
Ecce Columnenſis iurata in bella Camillus,
Auria conſurgit Ligurumq; Antonius armis.
Inſuper Eſtenſi genitus de ſanguine, mille
Armigeros ducebat equos Franciſcus in hoſtem.
Ibat & æratis centum Mediceius heros
Tormentis, alter dira Vulcanus in arte.
Innumeræ coiere manus, quos Addua gignit,
Eridanus, quos Varus atrox, Tybrisq; ſuperbus,
Qui lymphas Ticine tuas placidiſsime potant
Venere, aſſueti nudo pugnare ſub axe.
Hic pedes ire parat, quorum pars maxima plumbi
Igniferas geſtat glandes, & in aera torquet.
Cetera pars clypeos & pila oblonga gerebant,
Pulverulenta furit ualido pars ardua dorſo,
Quadrupedem uexans ferrato calce ferocem.

Iam multis comitatus erat uallata Cremonæ
Belliger egressus turritæ mœnia Cæsar:
Vndantis iamq; ora Padi, iam liquerat urbes:
Iamq; ipsi Proceres, iam bello lecta iuuentus
Ibat, & in campos ardens tendebat apertos,
Quà Tridentinas facilis uia ducit ad alpes,
Et quà raucus agit prærupta mole strepentes
Oenus aquas, refluens sectæ per uiscera rupis,
Quà pons arte patens uasto se se erigit arcu.
Inde uiam rapiunt, quà Campidonia ducit
Memingam uetus, & pulchram quà fertur ad Vlmã:
Inclyta quaq; suos ostentat Spira penates.
Fama per extremas Gelrhorum spargitur urbes,
Nubiferas alpes, & saxa hærentia cœlo
Transiliisse acies Latias, peditesq; equitesq;,
Germanos ultra fines, urbemq; Nemetum.
Tunc placita Gelrhi pro libertate, periclis
Expositi uariis, elataq; corda gerentes
Arma manu rapiunt, prompti noua tela resumunt.
Carolus interea gentes hinc inde remotas
Colligit, excurrit tumidus quà rupibus altis
Necharus, & quos Licus alit, quosq; Isara, Mœnis,
Danubiusq; ingens ambit, quos Fulda, Visurgis,
Qnos Sala, quos agitat sinuosis flexibus Oenus,

Et quos ſpumantis ditat ripa herbida Rheni.
Haud aliter fertur Xerxem toto orbe remotos
Collegiſſe uiros: tumidos exercitus amnes
Dum biberet, lucem denſaq; abſconderet umbra
Telorum, & ſolita priuaret lampade terras.
Germanos ubi iam pedites equitesq; coegit
Carolus, inde parat diſcedere ab urbe Nemetum
Protinus, & campo bellum committere aperto.
Nec mora, prælustris tetigit turrita Magunti
Mœnia, & undiſoni torrentia flumina Rheni.
Ad loca perueniens rapidis ubi confluit undis
Et Moſa, quæ fluxus ſignauit nomine terras.
Hinc Bonnæ acciuit Cæſar peditemq; equitemq;,
Iuſsit & armatis extendere ſigna maniplis.
Sic ut prolata fremuit fera buccina uoce,
Collecti coeunt omnes, mens omnibus una.
Qualiter Oceani Nereus cum ſtagna profundi
Excitat, ex imis gratæ Nereides antris
Conueniunt omnes, nec non excita cauernis
Squamea turba ruit. correptis undique telis
Certatim accelerant Latius, Germanus, Hiberus.
Martia quadrupedum reliquo dum turba coiſſet
Milite, & in circlum geſtarent ſigna manipli,
Carolus in medio cœtu ſic belliger infit.

comp. Maris ex-citantis Nym-phas ex antris

Quando

Quando ita Iuliacos Gelrhosq; insana libido
Ceperit, infando nostros inuadere campos
Impete, diuorumq; audent spoliare penates,
Crimine pro tanto, sontes modo pendere pœnas
Est animus, pacemq; dare infelicibus aruis.
Nunc tempus, uos esse uiros: sua præmia cuique
Digna dabo, uestrum nec erit sine munere quisquã.
Sic ubi fatus erat, peditum iubet agmine certo
Ordine disponi, atque equites præmittier acres.
His ita collectis, motis circum undique signis
Ad Iulos conuertit iter. perterrita tanto
Marte iubet populos ex omni Iulia parte
Arma manu capere, atque adoriri fortiter hostem.
Iamq; in Durenses deduxerat agmina campos
Carolus: en uigiles peruenit rumor ad aures
Horribilis: sentit strepitus Gonzaga latentes,
Emisitq; equitum subito leue prouidus agmen,
Et siluæ tacitas explorant undique fauces.
Protinus accurrit miles, uolat æmula uirtus
Itala, & ante alios incursibus erigit alas.
At Gelrhi simulare fugam, se & claudere luco
Addubitant, penitusq; datis flectuntur habenis.
Silua erat hæc late spinosis obsita dumis.
Rara per annexos adeuntes semita ramos

Inducit primo ingreſſu : nemoris tamen altæ
In medio latitant ædes, tutiq; receptus.
Hic prior ante omnes ſtimulis Vbertus anhelum
Quadrupedē contorquet eques moriturus in hoſtē,
Impete præcipiti crudelia funera miſcens.
Aſt Gelrhi exurgunt latebris, atque omnis in unum
Exoritur numerus, telisq; ſequacibus inſtant.
Ille autem impauidus bellator colligit iram,
Vt ſetoſus aper, canibus ſi prenſus iniquis
Obſtat, & horribiles opponit fortiter armos :
Horrendo nunc ore ruens, nunc dente minaci,
Ne premat obuerſum iaculis, aut retibus hoſtis :
Haud aliter ſtimulis Gelrhorum impulſus in orbem
Solus eques fremit, & rabidas exaggerat iras.
Aſt illi inſtantes letalis robore plumbi
Perfodiunt : ardens agit in præcordia pondus.
Hinc corpus ſocii triſtes exangue ferentes
Impoſuere leui curru, capulumq; tenebant
Certatim ; mortemq;, ait, hanc patiemur inultam,
Eſtenſis ductor, tradens pia corda dolori ?
Non ſecus, ut ſtabuli teneram leo forte iuuencam
Cum decus eripuit, fœcundaq; pectora fodit,
Paſtores lugent crimen raptoris iniqui.
Iam ferus ante uolans leuibus præceſſerat omne

Comp. Apri prehensi canibus

Comp. Leonis eripientis iuuencam, unde lugent pastores

Agmen

Agmen equis Estensis, iter celerarat ad urbem,
Sed postquam Gelrhi summis è mœnibus hostem
Aspexere trucem, se se committere campo
Decernunt, ausi in primos insurgere ferro:
Cumq; intra saxi iactum progressus uterque
Hostis erat, Iuli, Duram, pariterq; Sicambri
Turbati fugiunt, & equos ad mœnia flectunt:
Clamorem extollunt Latii, Gelrhosq; sequuntur
Compositi in turmas, numerusq; ardescit equorum
Huc obuersus & huc, hostemq; ad mœnia uertit.
Iamq; propinquabat muris, uictorq; secabat
Alipedum ductor, peditumq; exercitus omnis
Rectum iter ad Duram, nihil hic ter maximus errat
Carolus, adductis turmis se cogit in unam
Planitiem, ut trepido iam se se ostenderet hosti.
At fera Durenses fluxerunt signa per agros
Cæsaris, utq; uirum fremitusq; exarsit equorum,
Obiiciunt Gelrhi portas, in mœnibus hostem
Expectare parant ipsis, oculisq; sequuntur
Pulueream nubem: crebro tamen aggere muros
Circundant, uallis & propugnacula cingunt,
Fortia cælatis iungentes robora portis.
Non armis urbem Cæsar, nec Marte reposcit,
Sed monitis tentat uariis si flectere posset.

Instruit

Inſtruit his igitur legatum, prouida uirtus
Cui fuerat, claudens mandata accepta libello.
Quòd ſcelere infando, furiisq; agitata malignis
Gelrhia ab antiquo nimis ambitioſa Brabantum
Defecit ſceptro, nec adhuc ſatiata ruinis
Oppreſsit Batauos, queis nec reuocabile damnum:
Haud ullus ueſtrum ciues ignorat, ut arſæ
Nunc teſtantur adhuc ædes, delubraq; diuum
Diruta, tum uiduæ, matres, puèriq;, ſenesq;.
Quod uero meritas in idonea tempora pœnas
Diſtulerim, Gelrhi noſtram cognoſcite mentem.
Iam uos excipiam gremio pietate paterna,
Quando animus uobis fuerit diſcedere ab armis,
Et ſimul Auſtriaco ueteri uos reddere ſceptro.
Eſt ſatius tandem Romano cedere Regi,
Quàm fera bella pati, & longo conſumere bello
Tot populos, urbes dubio ſub Marte caducas.
Quàm Cæſar tum mitis eras? dic Cyre rogabas
Sic Tomyrim? Cyrum Crœſe, & tu Græcia Troes?
India tu Bacchum? Tyrios tu Roma rebelles?
Res Gelrho repetita truci, uiolentia cunctis
It noua, & accenſus ſerpens in uiſcera motus
Protinus inflatur, nouus & furor aggerat iras,
Bellerophontæo flagrantior igne, profundis

Fluctibus

Fluctibus Herculeis, rapidis corruptior Euris.
Immanes Gelrhi, quà cunctos ira uocabat,
Infremuere minis in Belgas acribus omnes:
Qualiter ære cauo dum sulphura uescitur aer
Inclusus furit, inde simul uis ignea sensim — Comp. tormenti bellici
Arreptura fugam penetrans agit impete sæuo,
Materiam subito cœlum protrudit in altum.
Haud secus in Belgam accensi meliora monentem
Excludunt plateis, atque extra mœnia pellunt.
Hæc super aduersis Durenses rebus agebant
Intrepidi: & circum metatis undique castris
Carolus, hac atque hac circundabat agmine muros,
Acrius exquirens clausos qua parte rebelles
Expellat muris Gelrhos, aditumq; capessat:
Non secus ut pecori lupus insidiatus opimo — Comp. Lupi sævientis in agnos inclusos
Sæuit in inclusos, prædæ insatiabilis, agnos,
Quem longo rabies furiosa fatigat edendi.
Hic ubi signa uigil Cæsar tellure locauit,
Surgit in arma furor subitus, præsaga futuræ
Mens agitat prædæ cunctos: accincta iuuentus
Moliri iam cuncta parat: pars uellit ab udo
Gramine tellurem, nec non componit in auras:
Pars sudibus crebris uallos furcasq; bicornes
Exacuunt, denso & compagem uimine texunt,

Vt cum clausa leui fuerit munimine tellus,
Arctet humum stricta robur compage locatam;
Altera pars quercus suspenso fortior ictu
Præscindunt, nudisq; euoluunt ligna lacertis.
Vndique procumbunt nemora, & uibrata securi
Populus hic nutat bicolor, spoliantur & Alni
Crinibus, atque suo spoliantur robore siluæ.

TERTII LIBRI FINIS.

HIERONYMI FALETI DE BELLO SICAMBRICO LIBER QVARTVS, AD HERCVLEM ESTENSEM, FERRARIENSIVM PRINCIPEM IIII. ET CARNVTVM I.

IAMQVE nigrescenti nox percurrebat olympo Noctis descriptio
Inuoluens alis fuscis terramq; polumq;,
Auriuagum mutæ uoces pecudumq; manebant,
Suadebantq; dolos tenebræ, tunc clara repente
Cæsaris audentes uirtus animatur in astus:
Quare iterum coeunt acies, rapit agmina ductor
Gonzaga, & totum circundedit agmine fossas.
Dum sic hostiles aditus inimica pererrat
Mœnia, quadrupedum fremitu, clangore tubarum,
Figite turrifragas tormenta rotantia glandes,
Ductor ait, ramis fossasq; implete resectis.
Ergo parent se se cuncti, Vulcania tela,
Tela, globos, capiat quisquis sulphurq; nitrumq;,
Intrusum impellat plumbum simul obiice rupto.
Haud mora, quenque suũ munus trahit, ordine pul-
Arte ducis prõpta stant omnes: lancea dextris(chro
Erigitur, stat frena ferox humentia mandens

Ante alios ſonipes, ſtat raptis ordine miles
Faſcibus, & pugnæ non iam diſcrimina ſuffert.
Hic foſſas implere parat, mora nulla, per auras
Tunc auſæ dare ſigna tubæ, clamorq; uirorum
Tollitur, unanimes & foſſas undique cingunt:
Viminibusq; ruunt ſectis, atque aggere complent.
Nec ſatis hoc. urgent alii tormenta, reuoluunt,
Conſtituuntq; locis, ubi duræ mœnia poſsint
Diruere in præceps citius. ſic munera mille,
Mille artes addunt cuncti ſtudiumq; frequentant.
Qualiter, eruptis cum ferrea tela caminis
Vulcano ſtridente trahunt, uerſantq; coquuntq;
Aeriſoni maſſam Cyclopes, & arte coercent.
Nec tela interea ceſſant, immanis ab ære
It globus, & rauco conſcendit ad æthera bombo,
Extremaſq; fragor nubes irrumpit olympi.
Vix deterſa dies cœlo, dimouerat umbras
Rorificas alto Dea lutea, forte manebat
Altera pars noctis tarde labentibus aſtris.
Vndique circundant muros, flammiſq; coruſcant,
Excubiiſq; premunt incluſum mœnibus hoſtem.
Cetera pars campo ſternunt ſua corpora, lauto
Indulgentq; cibo. Gelrhi diſcrimine tanto
Nec dapibus releuant ſe ſe, nec languida molli

Corpora

A Ciclopib. uer= santib. et coquētib. massã aeris

Corpora dant ſomno, tenebroſa noctis in umbra.
Sed miſeri ſua fata gemunt, quod cuique tuendū eſt.
Attamen obſeſſam legio ſortita per urbem
Excubat, alternatq; uices, excercet, & inſtat.
Poſtera nocturnas ut primum liquerat umbras
Orta dies, lucemq; efflarant naribus altis
Et Phlegon igniferus, Pyrousq;, Eous, & Aethon,
Protinus armari ſocias Gonzaga phalanges,
Ac petere inſtructo iubet omni milite Duram.
It tuba præceptrix Latiis, it buccina Iberis.
Anticipat uirtus cunctos, ac denique iuſsi
Armantur pariter telis, & ſtipite dextras,
Enſe latus, duroq; latet ſub tegmine pectus,
Fulgenti galea caput; atque in pectora ſurgunt
Quadrupedes ſuſpenſa truces, ſtratumq; relinquunt:
Nec mora cornipedum, peditumq; exercitus æquas
Scinditur in partes iuſti libraminis inſtar.
Diuidit ergo ſuas acies Gonzaga coruſcas.
Nam quà lapſus agit placido ſub murmure lymphas
Rura ſuas, per utroſque cauæ compagis hiatus:
Efferus oppoſitas uires Germanus in unum
Colligit, à læua generoſi Principis agmen
In ſolitos agitur cuneos, quo Principe ſpirat
Gloria Belgarum ſedis, noua gloria ſceptri

Diliaci, quem tota ſuis obnoxia fatis
Celrhica caſtra pauent, & in æthera Belgica tollunt,
Pars medium ſortita locum, coit omnis in arma
Arma uigil, quorum ſemper fuit ardua bello
Atque infracta uirum uirtus, hæc Itala pubes
Itala erat, ſed fortis Iber ſe iunxerat illi,
Ambo pares animis, æquale in prœlia fulmen,
Aequalis uirtutis amor: ſic agmine trino
Conſulitur bello; peditem catafracta ſequuntur
Agmina cornipedum duo bis diuiſa per arcus.
Vt primum totis digeſsit cornua caſtris
Cæſarianus eques, digeſsit cornua campo;
Armatura leuis celeres poſt ſparſa cohortes
Tota per anfractus quà ſe ferus hoſtis agebat.
Huc ubi peruentum eſt, ſubito Mediceius heros
Corripit aerium tormenta æquantia fulmen,
Inuentum Vulcane tuum, dum ſidera terres,
Sidera conuexæ ſedis, dum tela Tonantis
Tela ferox præbes homini, dum Teutonas armas.
Nec mora nigrantem ſalicum cineremq;, nitrumq;,
Et ſimul ignitum uolucri premit obice ſulphur.
Puluerem accendit maſſam dum feruidus ardor,
Ardor in intorto ſeruatus fune, furit uis
Ignea, continuò correpto fomite rupto
Obiiceq;

Obiiceq; impellit chalybem, uolat ille per auras
Stridulus, inuoluens iniectæ lampadis ignes
Cum tonitru, nutat murus quo ſaxeus ictu,
Mœnibus & nutant turres, è turribus altis
Summus apex caſum muri cum parte minatur.
Quo percuſſa ſuis reſonarunt flumina ripis,
Flumina Rhenigerum iuxta latus, aruaq;, & urbes;
Quo pecus in ſiluas denſas paſsimq; per altos
Se recipit montes, & quo per ſtrata iacebant
Deiectæ paſsim uolucres paſsimq; iuuenci.
Vndique tunc nubes oculis, non ciuibus hoſtem.
Hoſtibus haud ciues putri ſub nube ſepultos
Internoſſe datum: talem Vulcania tellus
Dat gemitum, atque oculos ignito ſulphure claudit,
Ignea terribili Siculæ dum Lemnius Aetnæ
Ora ferox laxat ſonitu, nec ſegnior ullo
Tempore, dum Chalybes opera ad fabrilia nigros
Excitat, & Brontem, Steropemq; ſub incude mollit;
Antra Aetnea gemunt fumantibus arida ſaxis,
Et Lypare, & Lemnos fornacibus omnis athelat.
Sentit ubi horribiles ictus confuſa tumultu
Dura fremit trepido, ſua quiſque pericula deflens.
Non minus ut ſiluis latratu cerua repente
Acta canum in reſtes ſinuoſas undique uires

A Cerua acta a canib. e siluis

Cum

Cum iam consumpsit longo perterrita cursu,
Haud dubiam expectat mortem circũ undique septa.
Vix fera sublimes murorum machina pinnas
Verterat, aligeris uix aut uix unda palustris
Promittebat iter. rapiunt subito arma, uocales
Non expectantes lituos, sonitusq; tubarum,
Hispani & Latii, clypeis testudine facta
Sed scandunt aditus, atque ipsis mœnibus instant.
Turris erat propter fossas excelsa, Sicambro
Opportuna. cauam totis hanc uiribus ardent
Expugnare hostes, totaq; euertere opum ui.
Desuper ast contra Gelrhi defendere saxis
Instantes urgent, & sparso fulmine massæ,
Et plumbi nimbo. Latiis pars, altera Iberis
Flagrantes immergit aquas, & saxa reuoluunt.
Ferrum alii librant, & obumbrant æthera telis.
Incussasq; trabes alii, pars uincula collo
Stupea deiiciunt; hostem turriq; repulsant.
Vndique sub medio pugnatur tramite muri.
Hinc ripæ Latio tinguntur sanguine fuso,
Sparsaq; per fossas uoluuntur membra rubentes,
Deiectas muris dextras cæsasq; resumunt.
Quin ne dum pugnæ Cæsar spectator atrocis
Extiterat, non ipse malis non ipse periclis

Abfuit,

Abſuit, incolumes iam nunc in prœlia, iam nunc
Vulnere confoſſos triſti ſolatur, & albis
Linteolis tergi miſerorum uulnera curat
Vt pater, ut medicus: Veſalio & aſtitit uſque,
Inſigni medico. tali nunquam arte Machaon
Floruit, aut tantis micuit Podalirius herbis.
Has mihi Calliope ſtrages, hæc funera, & arma,
Nominaq; ipſa ducum, clarosq; referte triumphos.
Dicite uos quot capta uiros ad mœnia duxit
Auria, & Eſtenſis decus admirabile gentis
Franciſcus; quot uexit & ipſe Columna Camillus.
Singula complecti cuperem: me tantus obumbrat
Geſtorum at numerus, rerū utq; ſequentibus undis
Obruor, & tantis infauſto Marte ruinis.
Iamq; inclinarant Latii, ſociosq; ſuperſtes
Quærebat iam turba ſuos, cum protinus omnes
Theſſalico ſublimis equo Gonzaga labantes
Inſtruit, hortatur, iubet, & monet, increpat omnes.
An ne pudet cœpti? tali ne implere paramus
Heſperiam fama? tales ne referre triumphos?
Nunc partas oſtentat opes, nunc gratus honores
Spondet Cæſareos. at contra Oenotria pubes
Non ullas uoces ducis aut præcepta requirens
Incipiunt rurſus premere, atque incumbere ſcalis:
Vt

Vt torrens, ut tempestas, ut nubila: saeuas
Non undas, non praecipites telluris hiatus
Horrescens: peditum quin & sibi quisque uidetur
Dux aliis: tanti est bellandi innata cupido.
Dum muris pugnant Gelrhi, uiresq; resumunt:
Irrumpunt aditus hostes. ita fictilis hosce
Murus in ingressus celeres diffibulat urbem.
Forte insidebat uallo fortissimus inter
Gelrhorum acies Paulus Bruschitius, omnis
Cui data cura fuit belli: nam limite primo
Restantem hunc sternunt Latii, ualloq; cateruas
Expellunt. hoc impulsu duce tota perempto
Non se turba regit, fit debilis impete tanto
Virtus, arma uirum nec quicquam posse uidentur.
Non secus effractis ut cum moderator habenis
Deciderit, turbantur equi, nulloq; magistro
Praecipitant, caeso duce sic uestigia tristes
Vllo incerta tenent fugientes ordine Gelrhi,
Vt primum erupit Latiis exercitus armis,
Discurrunt subito ad portas primosq; trucidant,
Et lata ultrici ferro est uia facta per hostes.
Cernere erat mento hũc, lingua illum & nare recisis,
Hunc laeua, hunc humeris nutantibus, aure reuulsa
Nitentes manibus alios euadere ab hoste. (hunc

Funibus

Funibus apprensos alios, & compede uinctos;
Hostili postquam saturati sanguine Iberi,
Fœmineo rapiunt auidi de corpore uestes.
Egeritur præda laribusq; patentibus ampla.
Vndique fit gemitus; matres, uiduæq;,puellæ,
Crinibus exululant sparsis, exterrita tanto
Corda uirum pulsant luctu, lacrymasq; resorbent.
Nec contentus eo miles sed Ibericus ignem,
Horrendum uisu, miscet ferus undique tectis.
Infelix tellus quantas modo passa ruinas.
Quis Duræ duros casus, tamq; aspera fata
Temperet euoluens lacrymis? uix barbarus ipse
Cessaret gemitu, ac lacrymari nescius hostis.
Hunc oriens spectans Titan, cum surgeret, ignem,
Restinxit radios, et cæca condidit umbra.
Quin ne dum Cæsar deplorans talia, mœsto
Aspectu sistens errantia lumina, Iberum
Castra mouet, trepidos uertit quoque ad agmina (Iulos.
Ast illi rerum ancipites sub lumine noctis
Effugiunt, miseris senibus tantum urbe relictis.
Inde humilis senio confectus se obtulit ori
Cæsaris, atque urbem populumq; aduota paratum;
Optatam & supplex pacem implorauit Iulis,
Supplicio fassus dignos, odioq; perenni;

Tum demum aurato claues cratere potentis
Iuliacum ſceptri linquens pater ille repoſtas,
Lætitia oppletus magna, diuertit Iulos.
Hinc Ruræmundam uictricia ferre ſub urbem
Signa iubet Cæſar, fluuio muriſq; ſuperbam.
Vix gelidis Ruræ uexilla uolantia ripis
Apparuere, ſimulq; acies peditumq; equitumq;,
Cum tanto oppreſſi motu, tanto impete, ciues
Conueniunt, ultroq; hoſtes in mœnia ducunt.
Hæc ubi, Lynnichio legati ex urbe ſimulq;
Aldhenauenſes, ſimul Herculana iuuentus,
Velati ramis oleæ pacemq; rogantes
Venere, & Cliuum populi uenere, Sicambrum
Zutphanii gentes, nullo expectante repulſam,
Huc omnes ueniſſe uolunt, ſcelerumq; priorum
Pœnitet, & ſontes, iuſti ueniamq; precantur.
Hos pius & clemens ad ſe inter regia duci
Tecta iubet, manibusq; datis placideq; recepit.
Illi alacres ueniamq; obtenti in pace ſequeſtra,
Fortibus admixti Belgis impune per hoſtes
Errarunt Latios, per caſtra, per agmina Iberum.
Martius inde furor, non tempora longa moratus
Venlonam Cæſar conuertit caſtra ſub altam,
Quam Moſa flexiuago curſu circunfluus ambit
Gelrhorum

Gelrhorum metas dum terminat atque Brabantum.
Carolus augurio hoc lætus, Duræq; superbus
Deuictæ imperio, uacuam sibi postulat urbem
Præsidio, laribus ciues ita spondet inultos;
Sin secus, admotis scalis transcendere muros
Est animus, stragem cunctis, ignemq; minatur.
Hi tamen intenti bello, iam pace soluti,
Ocyus armato ciues custode per urbem
Incedunt, motus nullus, nil turbida læso
Ordine tentauit nouitas, hinc Carolus ultro
Consumptis monitis uiolentam transit in iram,
Atque dari tum signa tubis iubet impiger, arma,
Arma rapi, & ferro ruituram funditus urbem.
Vix fera plumbatas eiecit machina glandes,
Cum subito hostilis titubauit signifer arcis
Gelrhicus; ancipites rerum non funera Duræ
Obliti ciues, precibus lacrymisq; precantur
Speratam uotis pacem, tutamq; salutem.
Annuit his Cæsar, Iulo perdoctus ab illo,
Parcere subiectis, & debellare superbos.
At Venlonenses tam læto in tempore rerum,
Omnia lætitia mox impleuere. seueros
Agricolas tenuit si quando dirus & ingens
Vndique suspensos resolutis imbribus auster,
 Depressoq;

Depressoq; diu taurus requieuit aratro :
Tunc si laxet equos spatioso tramite Phœbus,
Nimbosum aurato cœlum splendore coruscans,
Lætitia exundant cuncti sub uomere agrestes.
Talia Cliuensum postquam male gesta Sicambrũ
Nota fuere Duci, tam tristia fata uolutans
Ille diu, curis animum stimulantibus ægris,
Quid faceret, supplex adit in tentoria magnum
Granuelam, atque animi promittens omnia grati,
Hæc ait. Afflictis quæso succurre Sicambris
Magne pater, dubias & res amplectere nostras :
Non alio auxilio nobis, alio ue fauore
Est opus, haud alium quæro nunc æger asylum :
Exiguum hoc tibi erit, mentis qui Cæsaris altæ
Conscius existis, tanti quoque pondera gestas
Imperii uirtute tua : sic Herculis altum
Constitit auxilio cœlum, sic tota pependit
Machina, nec refugis titubauit Iuppiter astris.
Principis aspectu tanti Granuela parumper
Miratus, grato mox hunc sermone recepit.
Vtq; humili sub uoce roget, prius edocet, ipsum
Induperatorem ueniam, pacemq; reposcat.
Ergo iubet Gelrhos subito arcta lege rebelles
Cedere ius proprium Belgis, Mariamq; potenti

Romano Regi genitam ſtabili ſibi iunxit
Connubio; prudens hinc inde hæc omnia uoluens,
Componit, firmosq; animos, requiemq; Sicambris
Spondet, & optatam uentura in ſæcula pacem.
Deinde ſuo Princeps magno comitatus Achate
Cæſaris ante pedes ſe ſupplex ſtrauit, acerbis
Et ſenſim mœſtus lacrymis manantibus infit.
En ego ſeductus, quem noſti Cæſar, ut hoſtem
Imperii, ſupplex uenio, miſerere precantis:
Hunc lætum concede diem, placidam annue mentē,
Pone iram, tu uictor abi: te poſcimus omnes
Obnixe pacem miſeri: ſat uulnera fuſi
Pertulimus, noſtros ſat deſolauimus agros:
Ne ſpernas Rex ſumme, precor, mea uota, animūq;:
Annue diue meis æterna in fœdera dictis:
Et iurata tibi pacata ſuſcipe dextra.
His dictis; pietate ſcatens & amore, quieuit
Cæſar, & hunc placidis ſurgens amplectitur ulnis.
Interea monet ut memori iam pectore cuncta
Percurrat, ſeruetq; ſui mandata parentis:
Atque ipſi merito iuſsit plaudente Philippo
Solennes fieri pompas, & Regis honores:
Hinc pax alma colet terras, populosq; Sicambrum
Relligio, pietas, ſimul atque reſurgere Cliuis,
Iuſtitiam

Iuſtitiam cernens totus mirabitur orbis:
Fœdere percuſſo gladium uagina recondet.
Iam grata incipient populo ſuccedere ſæcla,
Sæcla immutatis procedent aurea rebus,
Excipient populos omnes, Gelrhosq; reuerſos,
Imperio, optatæ reddant ut pacis honores.
Heu quàm præcipiti nutant mortalia curſu,
Non homini quicquam firmum, ſucceſsibus anceps
Heu fortuna labat dubiis; ſtant ſole ſereno
Nubila, ſtant riſu lacrymæ, ſtant toxica melle;
Vlla ſuis nec ineſt fati conſtantia donis:
Hæc ſunt ampla tui Cæſar ter maxime facta,
Quæ audire horrebunt olim repetita Sicambri:
Hinc formidabunt omnes tua nomina gentes,
Et tua prælongo reuireſcet gloria ſæclo.

QVARTI LIBRI FINIS.

HIERONYMI FALETI
POEMATVM LIBER V.
AD HERCVLEM ESTENSEM, FERRARIENSIVM PRINCIPEM IIII. ET CARNVTVM I.

GELRHORVM ſcripſi pugnas, atque inclyta magni
Cæſaris, æternum quæ uiuent geſta per æuũ.
Nunc te Diua canam. tu (dum mihi uita manebit)
MVSICA, ſola meo ſemper celebrabere cantu,
Et tua mortali facta immortalia uoce
Libabo, cuſtosq; tuis nouus inferar aris.
Et merito, triſtes animos, ægrumq; laborem
Vnica tu releuas, diuumq; hominumq; uoluptas.
Qua ſine nil iucundũ animis neq; amabile quidquã.
Ad cuius numeros ſuperi uertuntur, & orbis,
At cœlo radiant ignes, quibus emicat ingens
Signifer, & leges, præſcriptaq; tempora ſeruant.
Te Phœbus, Phœbiq; ſoror duce, & aurea cœli
Aſtra ſuos agitant conſtanti fœdere motus:
Stantq; axes, quibus ipſe ingens uerſatur olympus,
Et certos elementa ſuos retinentia motus.
Quidquid adeſt nobis, quodq; hic & ubique mouetur,

Harmonicum eſt, prorſusq; nihil niſi Muſica, cantu
Quum regis aera, aquas, terras, cœlumq; profundũ.
Qua ſine materies omnis cumulata iaceret.
Per te ſumma rudi diſcreta eſt machina aceruo,
Quod dixere chaos: denſis dum cuncta tenebris
Torperent, liquidum ſpiſſo cumq; æthere cœlum,
Cum cœlo tellus, terris maria alta iacerent;
Duraq; cum teneris certarent, mollia duris,
Humida cum ſiccis, calidis cum frigida, cumq;
Pondere depreſsis nullum uel habentia pondus.
Quæ numeris firmata tuis, ſine lite quietem
Accipiunt, rerumq; uices, æternaq; fata.
Ipſa etenim tellus circumq; intraq; ſonanti
Alluitur fluctu, uaſto ac uelut inſula ponto
Inſurgit, mediis & ſtans ſe ſe explicat undis:
Et Triuiæ ſeruat rapidos per tempora curſus
Vndarum rex Oceanus, dum temperat æſtus,
Alternatq; ſequens fluctus mutabilis alueo.
Sic ſparſas iungis partes, ſic ordine certo
Perpetuoq; adamante ligas uno intertextu,
Errores Lunæ uarios, Solisq; labores,
Solis, qui ætherææ moderatur frena choreæ.
Corpora flammifero ſub te dum lucida cœlo
Suſpendit, currusq; iubet uerſare per orbem,

Mille per immensum ſpargens miracula mundum.
Hinc omnes natura creat res, auget, alitq́;.
Ver fouet æternum flores, hinc meſsis in agris
Spicea flaueſcit, preſſo & uindemia Baccho.
Hinc & apes dulci diſtendunt nectare cellas.
Hinc Veneri ſua iura uigent, & ab æthere natus
Dirigit incerta fatalia ſpicula dextra.
Inde uirum ſoboles, inde eſt fœcunda ferarum,
Bucula fert tergo taurum, laſciua maritum
Fert equa, cornigeros olidus grex accipit hircos,
Vberibus manat grauidis hinc lacteus humor,
Pullorumq́; piæ creſcunt examina matri:
Et uariæ paſsim uolucres modulamina fundunt,
Eridano cycnus, uicinis Daulias umbris
Concinit ales Ityn, tignis uaga plorat hirundo,
Alcyone pelago, pinna uibrante cicadæ,
Oſsifragæ, accipitres, mergi uictumq́; petentes
Fluctibus in ſalſis, crocitanti & gutture cornix.
Coruorumq́; greges, ſolitos dicuntur ubi imbres
Poſcere, & æoliis incluſos utribus euros.
Prouidaq́; accipiunt uitas animantia, quando
Huc redeunt. ſine te diſiuncto corpora nexu
Deficiunt, duræ & ſuccreſcunt nubila mortis,
Et te uita cadens intercedente reſurgit.

Nanque ſoporiferæ cedant ſeu membra quieti,
Seu uigilare iuuet, ſomnosq; expellere inertes,
Tu magnum replere iubes animantia mundum,
Aereas ſpargis uacuum per inane uolucres,
Et liquidas mutis fœcundas piſcibus undas.
Ipſa tuo ſurgit creſcens infantia cantu;
Augeſcitq; puer, plenis qui fortior annis
Vernantes tenui ueſtit lanugine malas:
Ac pede decurrit uolucri formoſa iuuentus;
Immutatq; comam ſeclis effœta ſenectus:
Inde ruunt æuiq; uices, & tempus, & ætas,
Dum ſua iura ſimul ponunt repetuntq; uicisſim.
Omnia quæ nequeunt per ſe conſtare, nec ulla
Arte ualent, certa numerum ſine lege tuorum.
Nam pater omnipotens te noſtræ Muſica uitæ
Aurigam dominamq; dedit. tu prima fouere
Sacra Promethææ cœpiſti ſemina flammæ,
Et formare rudes, lentisq; adiungere calcar,
Atque iras domitura truces reflectere habenis
Colla reluctantum doctis faſtusq; rebelles.
Tu pacem, tu bella geris, te ſigna ferente
Magnus in armatas acies quatit Adria, quando
Te duce barbaricas Alfonſus marte phalanges
Strauit, & inuicto deduxit ab hoſte triumphum.

Te

Te duce magnanimi succensus laude parentis
Restituit Latiis Saturnia sæcula terris
Alcides, Phœbi uates, & Martis alumnus.
Ipsum fama Iouem, quamuis Phlegræa minaci
Arma manu sæuus quatiat, numerisq; modisq;
Placari, totumq; polum instaurare sereno.
Ille quoque umbriferi custos & ianitor orci
Horridus, audita blandi testudine uatis,
Latratum posuit triplicem, longumq; quieuit,
Tartara & argutis plectri patuere querelis.
Quin etiam fama est liquido pede fluminis undas
In caput isse suum, properasse ad carmina rupes
Dulcia, & annosas duris de montibus ornos;
Concurrisse rude & uulgus, pecudesq; ferasq;;
Nec frustra doctus refugas sonus attigit aures.
Quæ liquido uolucris librabat in aere plumas,
Vix se intercepto potuit retinere uolatu.
Quis negat, ad tactum citharæ (nec fabula mendax)
Aonium claras struxisse Amphiona Thebas?
Fatidicumq; Deum periuræ mœnia Troiæ?
Marmora, frondosumq; nemus, fera corda canoris
Mulcentem fidibus? tantus sonus iuit acutas
Componens grauibus pulchra in discrimina uoces.
Talibus & studiis diras Pan terruit urbes;

Chaoniusq; pater mouit Dodonica quercum.
Sic Methymnæum sectatus Ariona delphin
Incolumem dorso uentosa per æquora uexit.
Auspice te, Phœbus languentes tollere morbos
Repperit, auctoremq; suum medicina fatetur.
His quoque defessus pastor durum exigit æuum;
Dum liquidas auium uoces imitarier ore
Tentat, & arguto calamos inflare labello.
Ad cuius modulos per mitia pabula fessa
Corpora deponunt pecudes, simul ipsa per undas
Læta choros agitat Nais, mox mollia cannis
Sibila dant Satyri, dant & sua cantica Fauni,
Exurgit sub fronde Dryas, decurrit Oreas
Montibus, & ludunt facilcs conualle Napææ.
Exultantq; mari Nymphæ, tum cœrula Doris
Nereidnm cœtus imis prospectat ab antris.
Durus & agricola incuruo iam lassus aratro
Rursum inuadit opus, lasciuum tibia folle
Dum sonat inflato, urgenti seu tenta bacillo
Tympana supplodunt, & pulsant æribus æra,
Et tuba conspirat cornu graue tortilis unco,
Talia permulcent animos solatia nostros.
Hinc & grandiloquis uoces creuere poetis:
Quales Eridani ad ripas (pulcherrima rerum

Quà

Quà caput æthereas Ferraria condit in arces)
Digna canunt Musis, & Phœbo digna, Gyraldi,
Et qui laurigero comes is Sarrache Guarino,
Magnus & Alfonsi moderator Riccius ora
Soluit Smyrnæis nunquam cedentia plectris,
Actiolusq; agiles doctus cantare Napæas,
Quiq; fauos Italis omnes effundis Hymetti
Antimache, & parili sequitur quem laude Moratus,
Et quos nostra pares diuersis laudibus ætas
Iactat Areostos, Latii duo lumina fratres,
Atque suo tantum inferior Gonzaga Marone,
Quale meus carmen Pyrrhus facit, ille beati
Ingenii Pyrrhus, priscos qui carmine uates
Prouocat, immiscetq; Tagum Permessidos undis.
O, quibus addideris si me, celebrare camœnæ
Non te deficient nostræ, tua templa sacerdos
Ingrediar, tibi sacra feram renouata quotannis.
Interea scelerum exortem da ducere uitam,
Da fluxas contemnere opes, fastusq; superbos,
Et casto usque tuas operari pectore ad aras.
Sic ubi me uinclis uolet hinc mors ire solutis
Illuc, unde suos iam pridem traxerat ortus
Spiritus, æternos redeat uicturus in annos.
Tu uero ò Latiæ columen spesq; unica gentis
Alcide,

Alcide, ſub quo delapſa per æthera magnum
Muſica diuinos numeros cognataq; ſeruat
Semina, & Eridani formoſa ad prata quieſcit.
Hos, precor, hos noſtros (ſi qua illis gratia) luſus
Accipe, adhuc calamo quanquam maiora ſuperſint.

AD FERDINANDVM GONZAGAM, IN ITALIA PROCAESARE.

CAESAREO ſalue Princeps dignisſime ſceptro,
Inclyte flos procerum, quo non prudentior alter
Tempeſtate uiget noſtra, neque iuſtior alter.
Qui Ligurum dites terras, fundataq; priſcis
Regna tenes Gallis, & ſancta in pace gubernas.
Sed quid ego? an ſperem iuuenis tua dicere facta?
Et magnas tenui laudes celebrare camœna?
Dicam quàm tua dextra potens? quo torqueat haſtā
Impete, quid posſint acri tua pectora Marte?
Cum ſpumantis equi fodias calcaribus armos,
Aut clypeo inſurgens hoſtem inſectere ferocem?
Conſilio quantum posſit tua prouida uirtus:
Cæſar, & hoc ſummi proceres nouere duceſque.

Deq;

Deq́; tuis nouit pendens Germania factis
Effera gens armis, bellaxq́; Hiſpania, tanto
Cum duce te freti, cum te fera caſtra regente
Imperio caperent ſecuros agmina ſomnos.
Nec mirum, antiquæ ſunt hæc ueſtigia gentis,
Inde & ab egregiis præſentia tempora factis
Ducis, & illuſtres trahis ad tua facta nepotes.
Multa quoque arcano uoluens ſub pectore, curas
Quid uexilla ferant gelidi minitantia Rheni,
Martia quid Daci, quid ripa ſonantior Hebri,
Pãnoniiq́; truces ſtudeãt, quid Turca minetur, (rũna,
Quid Tagus, aut Ganges, Rhodanus celer atq; Ga
Quid uagus Euphrates refluens, extremaq́; Thule.
It propere tua uis animi clarisſima factis,
Auſoniæ confine tenens, non deſide dextra (dus.
Arma paras, quæ Turca tremat, quæq́; horreat In-
Qualia magnanimus ſtygias dum terruit umbras,
Intulit Alcides, triplicem dum robore traxit
Inde canem, tetris ſpumis aconita uomentem;
Dum caput horrẽdum domuit creſcentis Echidnæ,
Dumq́; Molorchæum claua domitrice leonem
Strauit, & inuita ceruam Iunone peremit.
Talis ab inuictis tibi gloria quæritur armis.
Talis in heroos uirtus diffunditur artus.

Seu tu tela manu uibras, ſeu ſpicula torques,
Siue leues equitum turmas peditum ue phalanges
Gallorum uictor fundis, quà Graia uetuſtis
Maſsilia aſſurgit muris, ſeu cogis ut armis
Depoſitis Gallus poſcat cum munere pacem.
Quàm tibi magnificos duxiſti ex hoſte triumphos,
Et quoties uictor per ſcuta, per arma, per agros,
Hoſtiles, fulgente uiam tibi feceris enſe,
Prætereo Gonzaga (tua hæc notiſsima cunctis)
Quid genus & proauos & regia nomina narrem?
Quum tua nobilitas in toto fulgeat orbe:
Indica quam tellus, quam nouit & ultima Thule.
Climatis ò noſtri ſplendor, uos tempora bello
Noſtra alium tandem Latio uidiſtis Achillem,
Relligione Numam ſanctum, ſanctumq; Metellum.
Virtutum omne genus Princeps tibi maxime pectus
Exornat, dubium, an maius pietate uel armis.
Quumq; inopes magna donaſti dote puellas,
Ac miſeris porrexit opem tua dextera largam
Multis, quos toruo preſsit Rhamnuſia uultu.
Nullus auaritiæ, cæcæq; libidinis ardor
Mentem uexauit ſancta probitate uigentem.
Aſt ubi cum pacem donant pia numina terris,
Nec duris toties crepitant incudibus enſes,

Quumq;

Quumq; tubæ clangor Tyrrhena & clasſica ceſſant.
Per te eſt ſumma quies populis. pia iura miniſtrans,
Diſperſos reuocas ciues. Aſtræa relictas
Sic repetit terras, atque aurea ſæcula ſurgunt.
Adde his magnanima quòd uiuas coniuge felix,
Et longo Bruto quoque fortunatior, uxor
Portia quanquam illi fuerit: diuina uirago
Iuncta Iſabella tibi eſt, cui Pentheſileia cedunt
Pectora, cumq; ſuis uincuntur Amazones armis.
Forma Helenam ſuperat, ueteres probitate Sabinas,
Vna pudicitia conſórtem uincit Vlyſsis.
Ah quoties gemebunda trahens ſuſpiria ab imo
Pectore conqueſta eſt, Cur me fecere puellam
Cœlicolæ? quid non ſexum tribuere uirilem?
Eſt animus certe claros ſenſurus honores,
Pectora ſunt duro nobis aptiſsima bello;
Quæ Lybiæ ardentis ualeant tolerare calores,
Sarmaticasq; niues, imbremq;, famemq;, ſitimq;,
Nec ſtrepitus terret lituum, clangor ue tubarum.
Talia necquicquam Superos per ſæpe precata eſt.
Hæc opifex ideo rerum uota irrita fecit,
Connubio illuſtri propriam patriæq; reſeruans,
Vt pulchra faceret Princeps te prole parentem.
Hi quanta afficiant ſpe, & præclara indole matrem

Felicemq; patrem; circumſpectumq; Senatum,
Quis reputet, niſi cui notum experientia fecit?
Ante annos animo ſtudiiſq; uirilibus ardent,
Lumina pacis erunt, & erunt tot fulmina belli.
Hæc te prime Ducum fecerunt cuncta beatum:
Si qua beata uiris inter mortalia poſſunt
Stare diu, nullis ſæclorum obnoxia fatis.
Et cum uicta tuis canis felicior ætas
Tandem terga dabit, fatis cedente ſenecta:
Nec laudem poteris ſolitam per tela, per enſes
Quærere, & ingentes factis cumulare triumphos.
In caſtris tolerare hyemem nimioſq; calores,
Caniciem galea premere, aut haſtile lacerto
Fraxineum torquere, & equum retinere lupatis;
Tunc ſtimulans ex more tuo iuuenilia corda,
Torpentes animos iuſſu, monituq; iuuabis.
Aſsidue in primis conſueſti hortarier illam
Ire uiam pergant, fortes quæ ducit ad aſtra.
Hæc ſtudia atque hæ ſunt generoſi Principis artes.
Sed quia iam cuperent alias tua facta camœnas,
Et Maro uel ſtygiis eſſet reuocandus ab umbris;
Conticeo; quoniam ſunt hæc notiſsima; uelle
Ne faculis uidear Solem illuſtrare puſillis.

DE BARTHOLOMAEO RICCIO.

Felix prole parens, & Principe clarus alumno
Riccius his habitat uicinis ædibus, ille
Riccius Ausoniæ torrens facundia linguæ,
Conspicuusq; fide, & morum probitate uerendus.
Illum sæpe sacro fundentem pectore uoces,
Voces Nestoreæ rorantes melle senectæ
Fas audire mihi, rarasq; agnoscere dotes
Fertilis ingenii. Quàm sedulus ille Latinas
Auget opes, & uerba suum Romana Camillum
Succincta breuitate docet, & principis æqui
Differit officium, & moderatur legibus aulam.
Nec non, ut ueterum discat monumenta uirorum,
Aemulus & patrias Alfonsus surgat in artes,
Cura subit. mox maiori molimine raptus
Fertur in exequias Regum, supremaq; iusta
Apparat, & manes Ferini inducit Olympo.
Illi Pierides oranti adstare sorores
Credibile est, illi mœstas elegeia querelas
Sufficit, ingeniumq; parens largitur Apollo;

Temperat interdum quæſitis ſeria ludis,
Et bonus Archiam conatur ab urbe Quirini
Pellere, ſed magnis contra ſtat Tullius auſis:
Poſtremus labor, ut magnorum gloria Regum
Suſcitet ingentes animos, & pectora uerſet,
Annorum uictrix, & tempore maior ab ipſo.
His ſtudiis, his ille meas ſermonibus aures
Detinet. hac rerum capti dulcedine noctes
Fallimus hibernas, doctasq; abſumimus horas.
O quas delicias Superi, quàm uera paraſtis
Gaudia? quas uobis referam pro munere grates?
Qui mihi, & Alfonſi magno doctoq; magiſtro
Coniunctosq; animos, uicinaq; tecta dediſtis?

AD LANFRANCVM GYPSIVM, Ferrarienſiũ Principis ſummum procuratorẽ.

ANTRA ego Pieridum Cirrhæaq; conſcia Phœbi
Viſere deſieram, lauro non amplius optans
Cingere florenti cupidos, hoc tempore, crines:
Sed labyrinthæis ambagibus obruta toto

Pectore uoluebam numerosa uolumina legum;
Cum de more suo uellens mihi Riccius aurem,
Riccius Aonidum clarissima gloria, dixit.
Nunc de te mecum uario est sermone locutus
Gypsius, atque aliquo meritum celebrauit honore,
Ingenium, dotesq; tuas referens. age cœptam
Carpe uiam, & Musis ultro comitantibus aude
Aude aliquid, longum quod postera nouerit ætas.
His animum dictis magno inflammauit amore,
Et sacer extemplo nostros furor imbuit artus,
Sollicita sub mente uigens, totumq; repleuit
Pectus, & humanos pepulit de corpore sensus.
Gratulor ista mihi contingere, sed meus, oro,
Vnde tuas nunc incipiet labor ordine laudes?
Hinc mihi relligio, probitas, pietasq;, fidesq;
Se se offert, uerum quis iam te iustior, aut quis
Sanctior occurrit? qua relligione gerantur
Omnia, seu populi, seu magna negocia tractas
Principis, aut quicquam discurris acumine mentis:
Quæ bona mortales affectant, æthere ab ipso
Contulit æterni summa indulgentia patris.
Primus, & ante alios labi irreparabile tempus
Non sinis in cassum, nec te torpescere somno.
Lucem ante exurgis strato, nunc scripta Platonis

Nunc

Nunc & Aristotelis, nunc & præcepta Cleantis,
Nunc legum nodos, & cæca ænygmata uoluens.
In quibus excellis tantum, ut diuina ferentem
Consilia, obstupeant, ueteris miracula sæcli,
Bartholus, & Baldus, Dynus, Salicetus, Iason.
Atque etiam solitos ut posit curia sumptus
Noscere, solerti uiuendi calculus omnis
Perspicitur cura, & ratio seruatur ad unguem.
Si qua tuos demens agitat discordia ciues
Forte bipartitos; duce te tunc cessat Erynnis;
Te duce tela cadunt; scelerum tu maximus ultor
Busirim, Phalarimq; domas, sæuumq; Procustem.
Iam bona peruigiles, & nostra æraria fures
Tuta sinunt, rapiuntur opes non amplius, & te
Gaudent, populifer quæ mœnia perluit amnis.
Mœnia semper erunt ea te moderante beata,
Herculis & tutos capient sic tempora somnos.
Adde alios mores. furiosa libidinis arma
Negligis, haud te transuersum rapit ambitus auri,
Non nimium parcus, nimium nec prodigus, æquus
Inter utrunque tenens medium laudabile seruas.
Nota uiris Diuisq; loquor. seruator honesti
Tu uerus recti compos, quem uana superbum
Reddere nulla potest uentoso gloria fastu,

Scis

Scis quibus indulges; nam si quem uideris ultro
In uitium labi, monitis dictisq; reducis:
Te monstrante uiam, Padus, & submissus in æquor
Defluit, æquoreosq; iubet mitescere fluctus.
Iam mihi, iam uideor lætos audire poetas,
Et tua grandiloquo referentes facta cothurno.
O mihi si maneat dubiæ pars altera uitæ,
Ingenii, & quantum sat erit, tua gloria semper
Viuet, & æternum laudabunt sæcula nomen.
Nanque ego tale aliquid possum promittere; lusit,
Lusit nostra modis uarias elegeia sortes
Non illaudatis; testantur carmina mille,
Mille iocos Veneris referentia, millia laudes
Multa ducum; posthæc testantur, & horrida Mauro
Cæsaris orsa truci; cum bella inferre pararet
Is *Zeliæ*, & puppes quateret Neptunus in undis
Turbidus, (heu sortem quàm sum miseratus iniquã)
Cum domuit Iulos, Cliuos, flauosq; Sicambros.
Scripsimus atque etiam uersus sermone pedestri.
Omnia quæ, Gypsi, duce te instaurare iubebo,
Te duce plebeio grege separor, altaq; adibo
Sidera: sed miserum, sine te iam limine primo
Excutior; ueluti cum magno turbine puppis
Huc illuc agitur nullo deducta magistro.

Ista

Ista simul repetens tantarum pondere rerum
Subsisto Gypsi, donec tua latius acta
Exequar, & meritæ referam præconia famæ.

IN OBITVM FRANCISCI Venerii, Venetiarum Principis.

Ad zachariam Vendraminum.

DEESERVIT Princeps terras, terræq; labores,
Passibus ambiguis sors unde uolubilis errat:
Inq; uicem petiit sublimis regna beatum,
Prorsus ubi miseræ sunt læta obliuia uitæ,
Et iucunda quies, & frenum passa uoluntas.
Vnde oculos quacunque mouens felicia cernit,
Ceu uiolas carpens, & odori gramina nardi,
Tantum ibi fœcundo genitabilis aura fauoni
Aspirat flatu; pulsis hinc inde tenebris,
Exoriens nullis caligat nubibus aer.
Deponas igitur lacrymas, mœstosq; ululatus,
Comprime, & inualidas uocis demitte querelas.
Pelea defunctum non semper fleuit Achilles,
Nec Pyrrhus cari crudelia funera Achillis.
Immotæ hæ cœli leges, immotaq; fata,

Non

Non prece, non ullo fletu mutanda; quid ultra
Commemorem? ætheri a eſt felici in parte locatus;
Vnde ſibi liceat ſi quando reuiſere terras,
Atque iterum humanæ ueſtiri cortice uitæ,
Is neget, & toto affectu ſtudioq; recuſet;
Terrena hæc faciens prorſus uiliſsima flocci.

IN HORROREM MORTIS.

HORRIDA Mors, heu Mors immitis, & omne ferarum
Quæ genus exuperas, precibus nec flecteris ullis,
Nec te forma mouet, nec opes, nec debilis ætas,
Omnia naturæ naſcentis uincula ſoluis,
Quàm nimium late imperitas terraq;, mariq;,
In uolucres uacuum uolitans & in aera ſæuis.
Improba quot, quantosq; uiros heu falce cruenta
Perdideris? dic, & quantas deleueris urbes?
Mœnia Thebarum per te cecidere iacentq;,
Nomine contentæ doctæ cecidiſtis Athenæ,
Et Sparta, & campis uicina Polentia noſtris.
Tu quoque cum tanta coniuncta es Roma ruina,
Audebitq; tuos aliquando euertere muros

 Funditus,

Funditus, antiquæ nec erunt ueſtigia Romæ.
Virtuti ſaltem ſacræ & uirtutis alumnis
Parcere debueras. tu debellare ſuperbos
Tu gelidosq; ſenes æque, calidamq; iuuentam,
Imbelles, fortesq; uiros, populosq;, Ducesq;
Improba conſueſti. totus cui paruit orbis,
Magnus Alexander parui ſub pondere ſaxi
Clauditur. Auguſtus ſolis dominator Eoi
Occiduiq;, tuas nequiit uitare ſagittas.
Iulius antiquũ (quæ non quoque ſacra prophanas?)
Saturnum referens, atque aurea ſæcula, ſummus
Pontificum, ſub quo uixit felicior orbis,
Per te, ſæua, iacet, tantæ & ſua pondera molis
Depoſuit, ſedemq; ſuam ſuper aſtra reſumpſit.
At uos, qui mortem mortales temnitis, almam
Iuſtitiam ſeruate, Deum, cui ſidera parent,
Diligite, & manibus puris hanc ducite uitam.

AD

AD IOANNEM DONATVM.

BENVOLVS, ET TITYRVS.

Be. QVEM uideo horribili uultu, facieq; minaci
Promissa tristem barba, sparsisq; capillis,
Quid segnis tardo per pascua solus oberrat
Læta pede? ah prohibent celerem crassa ilia gressum:
Tityrus an ne iste est, morbo correptus acerbo
Qui fuit? en ipse est, grato laudemus in æuum
Ore Deum, qui solus opem, qui iura medendi
Summa tenet, sacræ ualido medicamine dextræ.
O tibi, qui uultus, facies quæ Tityre constat.
Qualis es? an mecum sors te est miserata dolentem?
Sed miseris solamen adest, & uota precesq;
Haud frustra superis deuoto fudimus ore.
Ti. Benuole mi ualeo tanto pro pondere morbi
Quo depressus eram, tumidis cursumq; repressit
Lethifer inguinibus, sed tento ducere gressus
In caulas, ut oues longo post tempore uisam;
Me miserum, sed adhuc membrorũ languida moles

Obſtat, & ad ſaltus pedibus uix recta ſuperſtat;
Sed tibi iam quantum fatear debere, canentes
Si mihi centum eſſent linguæ, tot & ora, negarim
Poſſe loqui, tanta eſt meritorum ſumma tuorum.
Tu uigil ante alios, pecudes per prata uagantes
Senſiſti, noſtrumq; gregem balare magiſtro
Abſente, inſolitos curſu comprendere lucos,
Nec ſeruare modum paſcendo, ſcandere rupes
Præruptas, illo nunc hoc diſcrimine potum
Quærendo, accliues inter ſcopuloſq; rapaces
Abſque duce: intrepidus per anheli deuia montis,
O pecus infelix, clamabas. motus amico
Corde, nec horrendos fures, auidoſq; luporum
Nec morſus metuens, cæcæq; cacumina ſiluæ,
Inſidias ue timens, uel opacæ frigora noctis,
Omne pecus fido curaſti cogere ritu,
Et numero totumq; tuis includere ſeptis;
Et tibi cura fuit paſcendi quærere campos.
Quare agimus grates, & habebimus omne per æuũ,
Si fortuna dabit referemus munere grato;
Iamq; Deos, reddant pro me, rogo, & uſque rogabo,
Donec ero ſoſpes, cœli dum lumine fungar,
Te ſi fata dabunt cineres poſt morte recluſos,
Si mea quid poterunt uenturo carmina in æuo,

(Vt

(Vt pia iam placide cœpit te abſente Thalia)
Donatumq; legent chartis, cernentq; nepotes;
Noſtraq; perpetuo capiet uos pagina, qualis
Qualis erit, nullos claro ſine nomine uerſus
Vnquam monſtrabit, quamuis ſit ruſtica muſa,
Veſtraq; maiori ſint nomina carmine digna.
Be. Sed cur hæc memoras, & grates Tityre reddis?
Miſſa fac iſta precor. nec iniqua potentia, nec fors
Impulit, humenti pecudes præcludere in antro,
Sed prædulce ſolum patriæ, pecudumq; peculi
Cura, & amor; mores animi, moresq; iuuentæ;
Tum ſincera fides fecere hoc undique ſanctum
Fœdus amicitiæ; quod dum creſcentibus annis
Creuit, & inde pares animi conſciſcit amores.
Hinc mihi ſurgit amor, ſic me tenet ille uolentem
Nolentemq; trahit: nam tanti eſt fœderis author.
Iſtius æternum diuini pignus habendum eſt.
Et temere hoc uiolans cœleſti ex tramite uitæ
Ad loca Tiſiphones detrudi morte meretur
Tantalea in pœna, Titii quoque pectoris unco
In morſu, uel ſi qua manet crudelior urna
Iudicis Argiui; cunctorum nempe parente
Natura ſum factus homo, ſic mentis amicæ
Semper ero compos, quoties ſors talia noſtro
Opponet

Opponet uultu, pecudes ad ſepta reduxi
Noſtra tuas, cuperem ſi quando occaſio ſe ſe
Offerret, pariter noſtros ſeruare parares,
Quod faceres ſpero. proſpexi Tityre mentem
Ingenium, moresq; tuos, qua lege recurrant
Non ſoliti ſimulare aliquid; ſic fata reducant
In bene firmato primas tibi corpore uires,
Et cito ego reddam pingues cum matribus agnos.
Ti. Quando erit ut poſsim meritis perſoluere digna
Præmia? uix equidem, fuluo ſi Theſſalus Hermus
Pondere purpureas Tagus & uectaret arenas.
At ſatis in magnis animi bene prona uoluntas.
Be. Tityre quid narras? ſunt iſta ſuperflua nobis;
Noſti etenim, grates Pylades non poſcit Oreſti,
Nec pretium, ſed ſponte ſua ſuccurrit egenti.
Quare age uade domum, ne tu modo laſſus in herba
Offendare uda; pecudum poſt pabula uiſam
Ocia profuerint nunquid tibi; flumina noſter
Grex cupit, en Phœbus longas è collibus umbras
Afficit, atque ſitim radiis propioribus affert.
Ti. Benuole mi repetam tectum tua iuſſa capeſſens,
Cras te, ſi potero, proiectus membra ſub ulmo
Opperiar pætula, & læti ſpirantibus auris
Pergratos Pani uerſus cantabimus ambo,

Fiſtula

Fistula,& argutæ uirili dum gramine cannæ
Murmure multiuagas deducet garrula uoces,
Et pictæ uolucres complebunt æthera cantu.
Be. Sic placet; en patulæ iam te uocat arboris umbra,
Suscitat & uolucrum uox illa arguta, superbis
Cantibus, ac crepitu linguæ iam silua remugit.
Lætitia potiare, iuuant nam gaudia cunctos,
Vrentesq; nocent curæ mortalibus omnes.

LIBRI QVINTI FINIS.

HIERONYMI FALETI
POEMATVM LIBER VI.

AD FRANCISCVM ESTENSEM, ALFONSI Ferrarienſium Principis filium, & equeſtris militiæ Cæſareæ præfectum.

INTER multa uirum fortiſsima pectora bello,
Perq; enſes, perq; arma, petas licet impiger ædes,
Franciſci illius, Latii cui reſtat in uno
Omnis honos, Italum qui gloria prima uirorum eſt.
Ne timeas, gratus domino liber ibis. in armis
Ille quidem duris, quamuis ſit clarus, amœnas
Suſpicit & Muſas, & iungit Apolline Martem;
Quem propter noſtris inſurgunt plectra camœnis.
Tu contra noſtro ſublimem ad ſidera uerſu
Extolle hunc, meritumq; refer per ſæcula fama.
Hic armis nulli inferior, Mars ipſe feroces
Nimirum edocuit pugnas, nec cedere ferro
Nec timuiſſe necem, ruere & per tela, per enſes,
In medios hoſtes, & ab hoſte referre triumphos.
Hinc iam fama uirum canit inclyta, totaq; ſurgit
Gloria, & Eridani populi iam priſca parentum
Facta

Facta recensentes, unius amore feruntur.
Nam neque magnanimo tantum Romana Camillo
Nec gemino gens ipsa fuit tam læta Catone,
Quantum magna suo Ferraria gaudet alumno.
Nam licet Ausonias olim bellator ad oras
Venerit Alcides, uariasq; subegerit urbes;
Sit licet Aeacides fortissimus inter Achiuos,
Fortis & Atrides fuerit, quos fata sacrarunt;
Non tantum ualuere simul nec Martius Aiax.
Iccirco meritum liber hunc reuerenter adibis.
Quòd si te famuli forsan retinere minaces
Tentent, ne subito uenias ad limina tanti
Principis (ut mos est), saltem uocitare Faletum
Sis memor, aspicies hunc, illum currere, & ultro
Maxima spargentes nostræ præconia famæ.
Cumq; tibi faciles aditus prætenderit ómnis,
Hæc illi audacter referes. Virtute priores
O tu qui superas, famam & uirtutibus æquas,
Accipe (parua licet) nostri nec dona Faleti
Respueris: gemino non semper uictima cornu
Occubat, aurati nec semper uelleris agnus.

O OLYM-

OLYMPIAE COLVMNAE, AENAEE Martinengi uxoris epicedion.

S ICCINE Di ſuperi, ſi quid natura peregit
Egregium, pulchro fœcundans uiſcera partu,
Arripere, & ueſtro fas eſt ſuper addere regno?
Tuq́; adeo ò ſuperum rector, qui ſorte gubernas
Regna poli ſpatioſa, tua cur ſede relicta
Aſsiduis tentas mundum incæſtare rapinis?
Europen falſa tectus ſub imagine tauri,
Et ſatyri adſumpta pulchram Nycteida forma
Luſiſti, & ſæuo genitam Titanida Cœo
Latonam, Aſteriemq́; Aquila luctante ſororem,
Graiaq́; cicnæis cubitauit Læda ſub alis.
Quin etiam Amphytrion fueras, Tiryntia cum te
Alcmene ſenſit prolem paritura gemellam?
Quis negat arreptam patriis Aſopida ab undis
Amplexu latuiſſe tuo? cum luderet ignis
Fuluus, opem uirgo nec quam imploraret, haberet?
Quid Phrygium referam puerũ? quẽ præpes ab Ida
Sublimem rapuit pedibus tuus armiger uncis?

Quid

Quid ue alias? cœlum ſtellis quibus emicat ingens?
Nec contentus eo, tibi ceſsit Olympia raptu,
Qua nihil aſpexit noſtrum formoſius æuum.
Quò ſcelus hoc tantum celabis Iuppiter? aſtrum
Inſuetum uidi radio ſurgente per auras,
Cum Tarteſsiaca Phœbus ſe mergeret unda,
Viſaq; matronæ paſsim uiuentis imago.
Illam homines ſpectaſſe ferunt, illam heroinæ,
Teſtantur tantum nota inter ſidera lumen
Vidiſſe, heu geminos inter cum fulgeret axes,
Et toto ſplendente polo diffunderet ignes,
Aeris ipſa decus, radiorumq; æmula Solis.
Teſtantur toto commota tonitura cœlo;
Ollius at ſubito fraudem deprendit, & omnis
Liquitur in lacrymas, largo queis flumine ripæ
Augeſcunt patriæ: nil uis humana reliquit
Intactum, queſtu magnum teſtata dolorem.
O duræ leges, o dura potentia diuum,
O ſortem miſerandam hominum, ſi lædere mundum
Sic libet, & toties commune intendere lethum,
Deuolet in terram potius Vulcanus, ut orbis
Frugifer incipiat rutilo immiſcerier igni,
Tempora uel tumidi redeant maris humida, ſiccum
Deucalion uidit merſas cum coniuge terras.

Qui gemitus, questus ue, aut quæ lamenta dolori
Sufficient tanto, cœpti quis carminis ordo?
Iam pietas oculos haurit, iam tristia frangit
Corda dolor, plenos nec linquit fundere luctus.
Dissimulare prius licuit, licet improbe multas
Iuppiter abstuleris flagranti percitus æstu.
Hæc noua præteritos superat uiolentia raptus.
Heu crudele nefas, & uos (si dicere fas est)
Crudeles Superi, ò duri inclementia fati.
En totam hanc urbem iuuat horrisono singultu
Cœlum, orbemq; implere, simul stygiamq; paludē.
Huc lacrymæ, lacrymæ ueniāt, gemitusq;, doloresq;,
Accipiant uoces has luctisonas, has uoces,
Luctisonas, inquam, uoces, querulosq; ululatus,
Quà mollis Zephyrus, quà flat Nabateius Eurus,
Aspera quà Solis tellus ignota quadrigis
Subiacet, inuisis ubi semper frigida nimbis
Certat hyems, cunctæ & suspirent fletibus auræ,
Agnoscantq; suum crudelia numina crimen.
Aureus & Titan pallescat, candida Phœbe
Induat auratum pullo uelamine cornu,
Nullaq; lux tandem claro se fundat Olympo,
Sed tenebris incincta caput nox incubet orbi,
Diraq; mors adsit tristi submersa sopore.

Vosq;



Vosq; chori Aonidum, uos & celeberrima patris
Cirrhæi proles, fata hæc crudelia mecum
Flere iuuet, uos, & fatalia pensa trahentes.
Ite deæ Charites (nam gloria uestra sepulta est,
En iacet illa decus uestri & lux maxima cœtus)
Purpureas lacerate genas, & pectora palmis
Tundite, & effusis lacrymis decorate sepultam:
Et uos, cui cordi choreæ, cantusq;, lyræq;,
Flete omnes, licet his ludens raro ipsa uacarit,
Non sine laude tamen. compresso pectine soluit
Serica iam uacuus radius, iam pensa reliquit
Ipsa colus, teretes liquerunt stamina fusi.
Nec mirum si quid filis nectebat & auro,
Seu pingebat acu, doctus labor iste peritos
Vicerat artifices, uni Tritonia cessit
Victa magisterio uultum suffusa pudore.
Quid sequar ulterius? uirtus laniata capillos
Luget, flentq; ioci faciles, & gratia morum,
Illacrymantq; simul pietas, probitasq;, fidesq;,
Quæ pariter iunctæ tumulo candentia fundunt
Lilia, purpureasq; rosas, sortemq; dolentis
Ingemuere uiri. non sic cum gurgite corpus
Quassatum cano uidit Cæicis in unda
Alcyone fleuit, non sic mœstissima Progne

Cum

Cum Philomela tuæ gemuit dispendia linguæ.
Nec tantum Priamus defleuerat Hectora, circum
Cum Danaas acies illum raptaret Achilles:
Nec coniunx Priamo tantum Cisseis adempto:
Nec tantum exanimem miseræ Phaetonta sorores:
Aeneas quantum gemuit. per pectora sensim
Tot lacrymæ cecidere oculis humentibus, undas
Nimborum ut credas effusas æthere ab alto.
Hactenus ista decent lugubria coniugis umbram.
Sed finem egrederis luctus. dare frena dolori
Tẽpus adest, uulnus quamuis graue corde sub ipso
Nuper hiet, cõmune atque irreparabile damnũ est;
Si quid erit, cunctis non ægra mente ferendum,
Ipsa haud termigini Canis indignantia rostra
Vidit, non oculos obterruit Hydra nitentes:
Quin emensa uiam cœli, quam lacteus ambit
Circulus, ætherea sedem sibi parte locauit.
Ista decet dixisse, precor sed Olympia summo
Interdum aspicias cœlo nos, numina nobis
Concilians, doceasq; uiam qua fertur ad astra.

DE

DE RIMINALDORVM RESPONSIS.

AESONIDAE argutas mirata eſt Græcia dotes,
Cum prior inſuetum per iter ſe credere ponto
Auſus, & iratis primum dare lintea uentis,
Auratum Colchis cupiens auertere uellus.
Orphea mirantur, quòd ſaxa ſequentia duxit,
Et cithara mouit ſenſus ludente ferarum,
Ille Soloniacas leges miratur, & ille
Legiferum, ſub quo profecit Sparta, Lycurgum.
Herculis aſt alii nodoſæ robora clauæ,
Qua tot monſtra dedit letho, quaq; impiger arces
Aethereas adiit, ſedem & ſuper aſtra parauit.
Scilicet his titulos præclaraq; ſigna uetuſtas
Impoſuit, longum (fateor) manſura per æuum.
At modo ſi priſcis præſentia tempora ſæclis
Conferimus, titulos potius mirabere noſtræ
Vrbis. ubi partes cœlum felicius implet
Hinc illincq; ſuas? quis honore efferre ſupremo
Audeat extinctos? non ne hæc ſunt æmula priſcis,
Et patris & nati diuina uolumina legum?

Miramur quos fama canit, prohibentq; poetæ
Cimeriis tradi tenebris, atque ardua facta
Maiorum, quos nostra uident nunc sæcla silemus?
Auditis equidem uisos præponere iustum est.
Quale etenim quantumq; decus sub pectore uixit
Amborum, quæ relligio, pietasq;, fidesq;,
Testatur uitæ ratio, mens nescia culpæ.
Credere si uolumus Samio, qui morte putabat
Illustres animas uolitare per aera, semper
Errantes, alio donec se corpore tandem
Induerent, Maia genitus descendit in illos,
Quos seruare Deum leges, & iura doceret.
Inde sacrosanctas afflato numine leges
Affectusq; habuere suos Riminaldus uterque.
At tu macte animo, legum qui singula uoluis
Sedulus, & fixa hæc exerces ocia mente,
Oracla hæc capias, cernes afflare furores
Phœbæos, spirare fidem Cœliq; Deumq;.

AD NICOLAVM NICOLAI
Grudium, Cæſari à ſecretis, apud Belgas.

SI QVIS forte roſæ florem tibi cultor agelli
Irrigui dederit Grudi, uel cærea pruna,
Aut quæ ſepoſita decerpſerit arbore mala.
Hæc tu nimirum non adſpernatus, aperto
Accipies uultu, tecumq; putabis amici
Hos animos ulla non ſedulitate minores.
Hac ergo impulſi ſpe, quas in uallibus imis
Aoniæ tenui collegimus ungue corollas,
Mittimus, ut parui quæ poſſumus, utq; patentem
Repentes per humum. quòd ſi dignabere ſertis
Vinciri paruis caput, & ſpiraueris ultro
Ardua pieridum peragranti ſacra ſororum;
Forſitan excelſo rediens è uertice Cynthi
Incipiam lectas hedera contexere lauros.
O mihi quid potius contingeret, o mihi felix
Illa dies, uerſu qua te celebrare licebit,
Macte tua uirtute, ſimul uirtute tuorum.
Nunc uero ſat erit, ſi quæ, dum ſeria ludo

Miſcuimus facili, linquentes tenuia rerum,
Luſimus, interdum placida dignaberis aure.

AD EVNDEM.

IAM mihi dictabant faciles, mea gaudia, Muſæ
Carmina, & inſigni geminantia plectra furore,
Neſcio quid ſtrepuere humili non uoce ſonandum,
Multaq; ſollicito meditabar pectore ſolus,
Lutea dum roſeis fulgens Aurora capillis,
Ignea depulerat tenebroſæ ſidera noctis.
Ipſe ego florigeris lentus ſpatiabar in hortis,
Dum tenues molli colludunt gramine guttæ,
Formoſa gelidus dum ros ex arbore ſtillat,
Dulciſono captans auium modulamine uoces,
Gutturæ quæ tenero feriebant æthera uaſtum
Clara ſalutantes orientis lumina Solis,
Grudi, cum noſtros ſubito tua Muſa penates
Ore renidenti ſubiit ueneranda penates,
Grudi, qui præſtas cedant ne hæc tempora priſcis.
Obſtupui, fateor, uocum dulcedine captus.
Tale canunt doctæ Parnaſsi in uertice Nymphæ
Vallibus

Vallibus aut Hemi, aut ſacras Heliconis ad undas,
Phœbus ubi Aonio ſtillantes rore capillos
Fingit, & in multo formoſus colligit auro.
Tot rident Veneres, ſic ſe undique gratia prodit
Blanda, nouo cultu ſic aurea carmina uernant.
Vt ſolet imbriferi cum flauerit aura fauoni
Arte coronatus gemmatis floribus hortus.
Tum blandum ſpirat tepefactus ſolibus aer
Maturis, alia eſt mundi ridentis imago,
Lætaq; per uirides ſerpunt animalia campos.
Taliter Orpheo reſonabat pollicæ chordæ,
Dum trahit auritas Rhodopes de uertice quercus,
Frigida bellantum dum ſiſtit flumina Thracum
Orpheus, Calliopes ſanctæ pulcherrima proles,
Editus in ripis nemoroſis Hippocrenes.
Macte animo, decus o noſtri ſpes unica ſæcli,
Qua uagus undoſa ſinuans ſe Dilia ripa
Mœnia Louani mauortia perluit altæ;
Quæ procul inuictis hoſtilia deſpicit arma
Turribus, atque iras furialis ridet Enyus.
Hic nemore in patrio recubans prope rauca fluenta
Agreſtes inter Nymphas, ſatyroſq; procaces
Compones, adament quod poſt tua facta nepotes,
Quod non longa dies, non inuida carpſerit ætas,

Sed uehet aurato super ardua sidera curru,
Stelliferum fama clarus pulsabis Olympum.
Tum densis populos tenebris miserabere pressos,
Quos mala præcipites agit ignorantia ueri;
Heroes inter sumes hic nectaris haustus.
Hæc & plura tibi celsus promittit Olympus.
At uero mihi displicui, sortemq; malignam
Plorabam, inuitis canerem quòd carmina Musis;
Non felix radiis fulsit mihi Iuppiter æquus,
Risit in exortu nec mi Venus aurea blandum:
Sed grauis ille senex tristi me falcifer ore
Vidit, & emicuere infausto crine cometæ.
Conspirasse putes parcas, elementa; deosq;,
Turpiter ut degam miseros inglorius annos.
Pierium frustra meditor dum scandere collem,
Sollicito pulchrum dum frustra ad carmina Phœbũ,
Nullaq; Castalidum uenit ad mea plectra sororum.
Candidiore satus tu sidere maxime uates,
De meliore luto cui finxit corda Prometheus
Caucaseam pascens Aquilam in scopulis præruptis.
His etiam rudibus debes ignoscere chartis.
Candida sic lætæ currant tibi stamina uitæ,
Nec niger in tota subsultet calculus urna;
Admoueat facilem uotis sic Iuppiter aurem.

Pœnituit

Pœnituit ſane cœpti, ſubitiq; furoris.
Atque hæc iudicio ueritus ſum ſubdere tanto.
Nec minus, ac Clario noſtra hæc incondita uati
Scripta legenda darem, pallebam totus, & ipſos
Neſcio quis gelidus tremor omnes ſoluerat artus.
Tum calamum laſſæ uix ſuſtinuere cadentem
Succiduæq; manus; tum prima exordia chartæ
Mutabant modo tincta, ob deſtituentia uerba
Hærebam uultus uario ſignante colore.
Non ſecus Ammonis uarios fons accipit ignes
Aere nocturno, & tumidum caput explicat altis
Protinus in tenebris totus felicibus undis.
Mox ubi Sol rutilo terram illuſtrauit amictu,
Et ſine nube dies ſuffulſit clarus ab ortu,
Inuerſis uicibus fontis uariatur imago.
Decreſcit calor ille prior, uis ignea ſenſim
Deficit, & gelidum in laticem conuertitur humor.
Aurea contingat non ſi mihi copia linguæ,
Ingeniumq; ſagax, facili comprendere uoce
Pertulerim, quales imo ſub pectore motus
Senſerimus, quantoq; animus ſudauerit æſtu.
Sæpe mihi facies non uno tincta colore eſt.
Protinus exorta numerorum luce tuorum,
Florebant ueneres, dicendi gratia ſumma,

Nec facile expediam, fuerim quàm mente ſub alta
Perpeſſus, magna uocum dulcedine ductus.
Non minus eoo ſi quis ſuffulgere cœlo
Spectaret uarias ſpecies, noua lumina Solis
Per uada, qui radiis infuſis cærula ponti,
Et ſola terrarum, non feſſa lampade oberrat.
Protinus infundens latis noua lumina terris,
Tempora ſufficiens uictor tria lucidus orbi
Gaudenti, ac uario ſemper diſtincta colore.
Sic tua doctarum miratus dona ſororum,
Carmina quæ ſpirant penitus ſuffuſa liquore
Pierio, placidumq; melos cultumq; decorem,
Quo percuſſa nouo reſonant nemora alta canore;
Carmi na, quæ celebrant hominum res atque deorũ,
Auro & barbaricis multo potiora lapillis.
Hæc neque odoratum ſpirat uer, blanda nec æſtas,
Mollia cum faciles ludunt per prata Napææ,
Vallibus & ſacris agitant de more choreas,
Per iuga uel Pindi, uel per iuga dulcis Hymetti.
Hec recinunt Nymphæ per prata uirentia riuis,
Dum pater Autumnus madidum caput extulit uuis,
Ac legit arbuteos fœtus, uel munera Bacchi.
Tale per Idalios montes, & per iuga Cynthi
Nymphæ decantant in læto gramine carmen.

Calliope

Calliope potuit uix tantum tempore priſco
Inueniſſe decus, magnum licet Itala tellus
Virgilium iactet, iactet ſua Græcia uatem,
Efferat & ſe ſe facilis noua Muſa Tibulli,
Et Venerem celebrans, Venerisq; Propertius almæ
Gnatum, qui facula ſuperos ac infera torret.
Sed quid adhuc hebeti calamo male ſanus oberro?
Deterimus paruis ingentia pondera uerbis,
Cum facile hic poſsis priſcos æquare poetas.
Nõ alio poſthac ſe tellus Teutona iactet.
Credere ſi uolumus Samio, qui morte putabat
Doctus, in elyſiis, diſcuſſa plebe, ſepulchris
Illuſtres animas uolitare per aera, rurſus
Errantes, alio donec ſe corpore tandem
Induerent. eadem mens perſtitit ore renato.
Tunc lauro redimita cohors celeberrima Romæ
Gaudens, Pompeii plauſum dedit amphitheatris,
Appuleras teneras roſei cum luminis auras.
Hinc tibi tot lepidi Muſarum munere uerſus,
Parnaſſusq; patet, doctiq; Thalia Maronis
Fronde uiret, uiret umbra, uirent animiq;,comæq;.
Hinc tecum faciles frondenti colle Camœnæ
Diuerſis cantant modulis, atque æthera pulſant.
Hinc agitur nouus ille color, tuus ille decorq;

Grudi,

Grudi, cui similis, quo non præstantior alter
Tempestate uiget nostra; sic æthera pulsant
Laurigeri Vidas, Fracastoriusq; poetæ
Orbe sub Ausonio, dum spirant carmina cantu
Doctiloquo, antiquæ referentes sæcula Romæ.
Te uiuente diu uates generosaq; pubes
Belgica Phœbeas poterunt deducere lauros,
Quos tu Pegasei duces ad fluminis undam.
Talia mellifluo resonant tibi semper in ore,
Nestora nunc uincens, Ithacũ nunc solus Vlyssem.
Ipse tua egregius recitabit carmina frater
Eloquio Marius Phœbi. nanque ora Secundus
Clauserat. hunc celebras cantu, quo funera cycnus
Ad placidas sua deflet aquas, quo protinus omnis
Aonis exurgens se se super æthera tollit.
Inclyta Louani stabunt te sospite semper
Mœnia, semper erunt ea te moderante beata.
Cæsaris & tutos capient sic tempora somnos,
Fluctibus in mediis placidis incognita uentis.
Vndique consilio tantum tua pectora fulgent,
Eximia ac uirtus uariis exercita rebus,
Tanta tibi probitas, tanta est clementia, candor,
Integritas, pietatis honos, uereq; paterno
Fungeris officio, studiis par denique solus.

Sic

Sic tua fama uolat, totum rediuiua per orbem
Tanget utrunque polum, nulloq; taceberis æuo.

AD EVNDEM.

FALLOR, an inſpirant cœleſtes enthea Muſæ
Carmina, quæ magnis non ſint indigna poetis?
Eia age quò furor iſte uocat tendamus, & alti
Parnaſsi ſacrum iuuet euiciſſe cacumen
Grudi, nec noſtros pigeat cognoſcere uerſus.
Inſideat licet ipſa tuis Venus aurea labris,
Et merito Claria uiridantia tempora lauro
Inter præcipuos Phœbus tua ponat honores.
Mollibus Aonidum quamuis nutritus in ulnis
Hyblæo fundas reſperſa poemata melle,
Qualia uenturi minuant obliuia ſæcli,
Sæpius ore pio relegat quæ cana uetuſtas.
Seu molles elegos condas & amabile carmen,
Montiuagi Panes, & capripedes ſatyriſci
Stant circum attoniti; mirantur Oreades omnes,
Seu grauiore tuba incenſus, magnoq; cothurno
Triſtia deploras miſerandi funera fratris,

Quę flerunt omnes Permeſsi ad flumina Nymphæ.
Ipſe ſuas artes damnauit mœſtus Apollo,
Paſſus inornatos ſine lauro errare capillos.
Fleuerunt Charites, nec tam defleuit Adonin
Cypria, dum roſeo tepefecit ſanguine flores.
Cum cæcus puer ille hominum, timor ille deorum,
Triſtia qui tenera iaculatur ſpicula dextra,
Qui genus omne auiũ domat,& genus omne ferarũ,
Extinxit faculam, calamos proiecit & arcum,
Omnibus iratus faciens conuicia diuis.
Iuppiter in niuei te uertam cornua tauri,
Dixit, & in multo deſcendens plurimus auro,
Cumq; tuis furiis umbrarum peſsime Rector,
Incipies ueros demum ſentire calores,
Quòd noſtri uatis rapuiſti ſæuus honores.
Qui mea regna tulit ſuper aurea ſidera cantu,
Vicerat & uaſto celebres toto orbe poetas.
Nec tener egregio ſe præferat ore Tibullus,
Nec gracilis ſuperat laſciui Muſa Properti.
Dixit, & auratis diuerberat aera pennis.

LIBRI SEXTI FINIS.

HIERO-

HIERONYMI FALETI POEMATVM.

LIBER VII.

AD ALFONSVM ESTENSEM HERCVLIS II. Ferrarienſium Principis filium.

Q Vo ferar? aut ubinam ponent ueſtigia plantæ?
Nullus in orbe locus uirtuti. à partibus illis
Quà Sol exurgens late dat lumina mundo,
Eius ad occaſum, ſunt omnia plena malorum;
Vi quorum, longe uirtute è finibus orbis
Excluſa, uitium laxis dominatur habenis.
Quis colit hoc æuo uirtutem? & præmia ſolum
Proponit factis? aut quis remoratur euntem
In patrias ſedes, orbe, ac tellure relictis?
Dic aliquot ſodes, retices? dic quatuor omni
Ex numero, dic tres, uno contentus abibo.
O mores hominũ, o graue & immedicabile uulnus,
O miſerum, o longe nobis lacrymabile fatum,
Viſcera nanque alte penetrarunt intima morbi,
In teneris annis ne ſpes foret una relicta.

Quæ quoniam ſolum ſupereſt medicina dolorum
Tantorum, iuuenes ad uos mea carmina uerto,
Ad te præcipue, qui tam puerilibus annis
Iam uirtute uiros uiciſti, hac indole nedum
Aequales ALFONSE puer, puer optime uincis.
Ergo ades, & noſtris pronam da maxime mentem
Verſibus, his animum ut poſsis formare, tuamq;,
Quà uia uirtutis, teneram deducere uitam.
Dum puer es, nec dũ mens hæc tua parua nec ætas,
Vtile quid ſibi ſit, rurſus quid inutile callet,
Aut penitus nigrum ſecernere nouit ab albo,
Ipſe animo infigas, præceptaq; noſtra capeſſas;
Riccius & quæ ſancta tuas inſtillat in aures,
Romani eloquii pater, & te dignus alumno.
Cura prior fuerat, diuina uolumina iuris
Scrutari, & Petri monitus, documentaq; Pauli.
Hoc pueri quid tam uiridi male linquitis æuo
Diſcere, quid Chriſti iubeat ſacra pagina, quid nos
Ius ſanctum doceat, moneatq; ſcientia legum.
At nunc pro ſtudio iuuenes rationis egentes,
Sæua pharetrati pueri accipiuntq;, fouentq;
Vulnera, quæ teneras corrũpunt ſumpta medullas.
Et docili exornant flauentes arte capillos,
More puellari, quales per tempora Circe
Floribus

Floribus illudens circumplicuiſſe corollis
Dicitur, atque auro, & gemmis religaſſe ſuperbis.
Vdas perq; domos redolent unguenta proterui;
Denique per cunctas ſordes impune uagantur,
Inde Dionæos ſtulti ſectantur amores.
Texitur his celſum teneris puluinar acantho
Sidonio, & ſignis torus eminet altus eburnis.
Qualem Dardanio diues Phœniſſa marito
Strauerat, & Phario coniux laſciua tyranno:
Mollia plectra placent, citharæ, cantusq;, lyræq;,
Tympana, & inflato concordans tibia buxo.
Ah nimium teneras corrumpunt ocia mentes.
Non mare nauigiis ſulcant; modo martia bella
Quis ſequitur, famam ut pariat patriæq;, ſibiq;?
Nullis ardor ineſt ſimilis, ſed currere tentant
Per fora, & illecebris blandas captare puellas.
Hic amor, hoc ſtudium, mare, ſunt hæc prælia uanis.
Sed tu quo patrios ualeas ornare penates
Tutior, & ſtudio felicem ducere uitam,
Inſignem famamq; tuam ſeruare, precamur
Non ſecus hæc uites quàm triſtia ſpicula mortis.
Talia (crede mihi) labefactant otia mentem;
Ex ſano inſanum efficiunt; nec durior ulla
Pœna uenit puero, ſimili quàm incumbere uitæ.

Vos

Vos quoque nunc iuuenes totis contendite neruis,
Accipere auriculis præcepta bibenda tenellis.
Vſque adeo ſiquidem iuuenum petulantia creſcit,
Et Sirenæo demulcet pectora cantu,
In uitia ut cuncti tanquam in uiuaria currant.
Quòd ſi ſanctarum præclara uolumina legum
Quis legat, & ſacris ſtudeat palleſcere chartis;
Non deerit naſo qui illum ſuſpendat adunco.
Hinc uirtus neglecta iacens male cognita, nullum
Nomen habet meritum defert quia nemo decorem,
Hos fugias moneo peius cane, peius & angue.
Hos quicunque ſapit, uitæ eſtq; adamator honeſtæ
Ridet, & a tergo deducto exſibilat ore.
Si patris ipſe cupis ſtirpem illuſtrare, domusq;
Nomen Ateſtinæ deducere in æthera fama,
Qualis auus, qualis genitorq;, & Dia Renata,
Illuſtrant noſtrum, ſeu lucida ſidera, ſæclum;
Hos noſtros memori ſeruabis pectore iuſſus.
Illecebras fugias meretricum. fœmina turpe
Mancipium faciet. poteris tolerare labores,
Imperiumq; pati? uictusq; recedere capta
Infelix præda, atque iterum parere ſuperbæ?
Turpius eſſe nihil, reputo nil peius, auaræ
Subdere quàm collum Veneri, & ſeruire leænæ.
Liber, eris ſeruus: ſi poſcet munera, danda.

Sin minus, eiiciet cernens te lumine toruo.
Mobile fert pectus, mentem quoque fœmina uersat
Mutantem huc illuc. sero cognouit Vlysses
Sirenum cantus, medicata ut pocula sensit,
Callidus abstinuit domina meretrice, nec inde
Paruit imperio, non aures præbuit illi.
Fœmina nam turpis, fallax, crudelis, auara,
Non gaudere potest uno contenta marito.
Nec prius è strato surgit, quàm Phœbe fenestras
Vrit, &in molli producit membra cubili.
Quis reperire queat casti connubia lecti?
Peccat uirginibus, nuptis quoque peccat adulter,
Filia semper habet miseros trepidosq; parentes,
Vera loquor, semper coiux metuenda marito est.
Quandoquidem gaudet flauos iactare capillos,
Pectora nuda simul gemmis ornata superbis.
Vberaq; ostendit pariter quæ uertere mentem
Hyppoliti ualeant, miseri mala semina amoris.
Quæ magis optata cum ridet imagine, fallit,
Ipsa uocat, quando standum est. semperq; timebis
Verna ministerium dominæ, litesq; molestas,
Seruitiiq; iugum patieris liber amarum.
Cuius in insidias postquam deuoluimur, omnes
Libertatem animi, spolium memorabile prorsus
Perdimus.

Perdimus, ecce bonum quo nullum denique maius.
Mortales duo magna ferunt, duo pulchra repēdunt,
Famam, & opes, cuncti splendoris nomina quærunt.
Quapropter duros subeunt uariosq; labores.
Gloria magnanimos urget sola inclyta segnes
Inflammat. reuerere igitur sanctumq; piumq; :
Sin secus, infami digito monstraberis olim;
Nitere nomen aui & uirtutem augere paternam
Macte tua, sic te iam curia sensit ab illo
His genitum titulis, & tali teste probauit,
Qui populos regat, & mundi moderetur habenas.
Asserat & proprio uictor Capitolia Marte,
Vnicus instaurans sublimis mœnia Romæ.
Euge tui iussu studiis addicte parentis,
Effuge blanditias Veneris, fomenta malorum,
Quæ ueluti genitrix, uitiis alimenta ministrat. (tes,
Hinc (aliud monstrum superest, quod perdit amā-
Postquam consumpsit uires damnosa uoluptas)
Exoritur comitata malis, comitata dolisq;.
Alea, quæ in summum iactat conuicia cœlum,
Pro nihilo magni ducens mandata Tonantis.
Denique mendicam cogit traducere uitam.
Inspice quot clades anceps ferat alea, quantas
Excitet ærumnas, quot & impia crimina secum
Aduehat

Aduehat, à lusu postquam desistit inani,
Et uidet in misera se paupertate iacentem.
Tum queritur, facinusq; audax prorumpit in omne.
Deturbare iuuat socios, componere ludos,
Furta sequi, scelerum quibus est ea cura priorum.
Quàm multi ad nihilum iuuenes sunt sæpe redacti,
Auri queis dederat sors multum, rura colebant
Ampla quidem, & Crœso longe maiora tenebant
Diuite, uel Dorylas is quæ possederat heros,
Aut magno, uel non Miluis errata, Sichæo.
Regia cui centum fuerant uariata columnis
Mœnia, & in cœlum niueis candentia saxis.
Nunc domus angusta est, culmis uel cespite tecta,
Alea tot fallax in tartara misit egenos,
Carnificis gladio iugulatos, morte pudenda
Ad generum Cereris quot peruenere? Quid ultra
Te moror? obscurant quæ nostras omnia mentes,
Effuge. sic dignum patrio te sanguine dicam.

AD EVNDEM SERMO II.

ECCE aliud uitium, quod nos rationis egenos
Efficit, horrendum, dirum, dum uiuimus ipsa
Formidabilius ſæuæ caligine mortis,
Præcipitesq; trahit ſenſus conſumit & artus.
Quod nomen lædit quouis pretioſius auro,
Polluit & diro mortalia cuncta ueneno.
Ebrietas ſtudio multum nocet, innuba Pallas
Vinoſos ſpernit, ſpernit cum Pallade Phœbus:
Lenæis quoniam prudentia uincitur armis.
Vnde alia eſt nobis ſpecies, uultusq;, animiq;,
Nec uigilare iuuat, ſed longos ducere ſomnos,
Tantum uina nocent, tantum ualet ardor Iacchi.
Tu puer ante omnes, puer o Phœbæe, uenenum
Hoc fugias. id uterque rogant cupiuntq; parentes:
Quos animi claros uitæq; modeſtia cœlo
Aequat, & in numero uirtus locat una Deorum.
Sin ſecus, inſanum efficiet, perdetq; ualentem
Viribus, ut nunquam poſsis damnatus in artus,

Firmos

Firmos ferre pedes. ut qui mordente podagra
Corripitur, fenioue graui morboue caduco:
Ebrius huic fimilis collabitur, ante nec amens
Corpora tollit humo, quàm fic defæuit, ut altum
Pectus, & attonitos fenfus fine fine perurat
Bacchicus ille furor, morbo truculentior omni.
Illi libertas hominum fecreta loquendi,
Per fe occulta patent, nec habet uox edita fenfum.
Aſt ubi iam pullis nubes difcuffa tenebris
Ebrietatis adeſt; tunc demum pœnitet ipfum,
Cum fe uirtutis priuatum lumine cernit.
Dein uelut infanus mentem linguamq; refoluit.
Vnde fit adfimilis Nymphæ, quæ furta Tonanti
Prodidit, & rapta penfauit crimina lingua.
Quam Deus inferni tremulis ululatibus Orci
Puniit, obductis priuauit luce tenebris.
Sic patria Archilochus bis terq; exire coactus,
Mæuius & rigidi eſt perpeffus carceris umbras.
Hæc tu non fugies turbato crimina uultu?
Crimina quæ triſti deducunt fede Megæram?
Hæc eſt uitiferi uulgata licentia patris.
Qui Baccho indulget, non fe cognofcit, & illum
Deferit alma falus; qua mens fenfufq; fatifcunt.
Si bene nunc recoles, nunquam reminifcitur illud

Quod didicit Bacchi furiosi tanta potestas
Deprimit ah pessum bona corporis, & bona mentis
Destruit hinc iacet absque oculis, & lucis honore
Post oritur turpis scabies, & tabida lepra
Aut maculis fœdata cutem Mentagra cruentis,
Hinc misero stillant oculi, gemituq; profundo
Membra tremunt, semper nimio fumantia uino
Vndique circunstant famuli Bacchoq; laborant
Sufficere, atque omnes miseri placare furorem
Iugiter in medio cruciat sitis arida potu,
Sufficiat pleno licet omnia copia cornu,
Quo circa tetro facies suffusa colore
Vndique tota rubet consperso saucia tabo;
Vritur acre iecur, putrido pulmone fatigans
Vocis iter, uirus sternens cum corpore sensus.
Summe pater scelerum pater o Lenæe, potensq;
Rixarum, exorto quid non mortalia bello
Pectora sollicitas, cratere occultus in ipso?
Pirythoi mensas turbasti cæde nefanda,
Et Lapithas duro stimulasti Marte bimembres.
Sic animis thyrsum gignis, mittisq; furorem,
Non aliter quàm cum celebrant trieterica matres
Sithoniæ, furiis agitatæ & numine diro.
Intumuere satis cum mille furoribus iræ.

Progrederis

Progrederis terrore nouo, miſeroſq; per artus
Horror adeſt, furit ille ſimul ſimul omnia flammis
Collucere putat, ruere & de ſedibus orbem.
Occubat Alpenor gradibus delapſus e macem
Ebrius ad Circen, ſimiliq; Philoſtratus una
Abſumptus fato eſt, & funere merſit acerbo,
Quot mala quæq; ferat Bromius, quot miſerit Or-
Dicere longa mora eſt. quærenti ſufficit unus, (co,
Exemplo qui ſit. Pellæus maximus ille
Fidum inter menſas (forſan noua monſtra uidentur)
Percitus enſe mero iugulat, ſociumq; trucidat.

AD EVNDEM SERMO III.

IN SEQVITVR Bacchi uitium comes im
proba uentris
Ingluuies. quare moneo te more paren-
tis,
Deducto capias quæ do tibi carmine Princeps
Conſilia, æternum forſan uictura per æuum.
Nanque ut thyrſiferi dulcedine numinis hauſta,
Fit rationis inops quiſquis. ſic uentre repleto
Carpitur, & ſolitus pariter ſalit ille recurſus
Ingenii,

Ingenii, & primis foribus fugit impetus amens.
Nam quicunque gulæ ſectantur gaudia turpis,
Et renouant guſtus epulis, pelagoq; ciborum,
Haud dubie fiunt hebetes, lucemq; peroſi
Deficiunt omnes labefacti in corpore ſenſus.
Hinc ſtomachus languens, epulas, quas ante uorauit,
Euomit, & tremulos uertigine concutit artus.
Pocula nil illi, nil dulcia fercula proſunt.
Nil uolucres, turdus, perdix, aut Phaſidis ales,
Et nil pernices, lepores, nil hœdus, aperue.
Tanta ſuperueniunt tumido faſtidia uentri.
Hinc atrox febris miſerum comburere pectus
Pergit, & arſurum uexat Phlegetontica corpus,
Curſibus aut mediis alterna fraude pererrat
Tempore compoſito, ſeu quæ furibunda diebus
Inſerpit uariis, ſpacium & præocupat horæ
Pallida uenturæ, ut morbum fera fata ſequantur,
Seu quæ continuis mortalia membra fatigat
Ignibus, & uitæ requiem negat improba noſtræ.
Sic homo mille modis patitur mala plurima ſemper
Deteriora fouens, morbo uexatus acerbo,
Langueſcit, uires abeunt, ſenſusq;, colorq;,
Brachia uix humeris, ſolido uix crura bacillo
Suſtentata uides; multis mœroribus angi,

Luctibus,

Luctibus, & demum celeri confectus ab æuo
Egerit ore cibos, quos turpe ingesserat ante.
Et quæ tunc habuit molli uersanda palato
Vix est apta manus digito retinere cadenti.
Pallida nec possunt electas labra medullas
Carpere, conditas epulas sed respuit, ægris
De manibusq; cadunt tremulis tunc pocula uini
Ecce gemit coniunx, quid filius? ipse senectam
Conqueritur miseri longum durare parentis.
Hæc data pœna gulæ, quoties hæc sæpe uorando
Tentat, & ingluuiem ingeminat, pelagusq; ciborum,
More boum, certe sunt hæc mala semina fati
Præscia uenturi, subitæ & prenuntia mortis.
Occidit Andragoras & Quintius occidit una,
Hos etiam extremos obitus habuisse feruntur
Aere sub puro cœnantes, Pansa, Vitellus.
Quid referam externas mortes? & dicere mensæ
Fata repentinos coner subeuntia casus?
Et mea longinquis reflectere dicta querelis?
Teq; per obliquum deducere uepribus agmen?
O tu, qui Latii splendor, spes unica patris,
Et patriæ decus, & totius gloria sæcli,
Cuncta hæc si effugies fidi memor usque Faleti
Dignus Atestini diceris sanguinis hæres.

Sola etenim uirtus mortalibus inclyta cunctis
Imperat, & domito late dominatur in orbe.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

HIERO-

HIERONYMI FALETI POEMATVM LIBER VIII.

AD SERENISSIMVM LAVRENTIVM PRIVLVM, VENETORVM PRINCIPEM.

TOTO animi ſtudio tibi gratulor, optime Princeps,
Quòd tibi ſit patriæ tradita habena tuæ;
Illa prius uidua, & caro ſpoliata parente,
Quamprimum optauit cernere poſſe alium,
(Inter honoratos proceres quos alma creauit)
Munia qui ſummi poſſet obire Ducis,
Omnibus exemplo qui ſit, nomenq́;, domumq́;,
Magnanimos ut qui nobilitarit auos.
Pacis amans referat ueteres hæroas, & árma
Propellens, Iani claudat, & ipſe fores.
En ſydus gratum uotis, luxq́; alma refulſit,
Et plaudente manu te pia turba legit.
Atque ubi iam prudens te delegere ſenatus,
Cui tua curæ omnis uita ſalusq́; fuit,

Cœlicolis reddunt manifesto munere grates,
Proq; tua spargunt thura salute focis.
Confugiunt simul atque hilares ex ordine ciues,
Mox concepta animo gaudia læta ferunt,
Sperantes sub te languentem assumere priscas
Italiam uires, & uetus omne decus,
Nec sit, ut ante, malis passim exagitata tyrannis,
Nec iaceat tristi semisepulta situ.
Accendens populis animos, ne ferreus ille
Sæuiat in nostros Mars uiolentus agros.
Nec uideat Rhodani ue Tagi immiscerier undas
Amplius Eridano libera Roma truces.
Quisque suos fines habeat, neque tangere puras
Ausoniæ fluuius audeat alter aquas.
Hæc facient Italas olim tibi cedere gentes,
Sponte sua à tanto quærere iura Duce.
Quæ cupient parere tibi, uexillaq; Marci
Per mare, per terras undique tuta sequi.
O mihi tunc liceat Princeps tam clara Priule
Carmine grandisono facta referre domus.
Quidquid erit linguæ, quidquid sermonis, & oris,
Promptum erit ad laudes expositumq; tuas.
Nam decus æternum cupio tibi, sæcula uitæ
Fausta simul, lætos tum sine fine dies.

IN OBITVM FRANCISCI Venerii Venetorum Principis.

HIC est Venerii tumulus, quid ego ultra sepulti
Commemorem tanti stemma decusq; uiri?
Occidit heu Princeps, sed uiuida nominis eius
Gloria non ulla est deperitura die.
Non satis est, Venetum cecidit delapsa columna,
Et nostræ pariter urbis, & orbis honos.
Vnde olim decus eximium surgebat, & uni
Surgebat multis Adria magnus aquis.
Si quid erat dignum scitu belli, pacisq;
Tempore, solerti nouerat ingenio.
Siue magistratus regeret, sanctumq; senatum,
Siue rudis populi commoda quæsierit.
Qui cum diuersas gentes legatus adiuit,
Flexit magnorum corda, animosq; ducum.
Nestorea tantum lingua potuitq; disertus
Eloquio, hinc semper uictor, ouansq; fuit.
Postremo lectus, patriæ ut tractaret habenas,
Principis egregii præstitit officium.

Hæc faciunt hominum famam uolitare per ora,
Nec sinit angustis occubuisse rogis.

DE CAL. IANVARIIS,
Ad Herculem Estensem Ferrariensium Principem IIII. & Carnutus I.

EXERE Iane caput, felixq; inuise repostas
Eridani gentes, exere Iane caput.
Hoc Deus Alcides, & Diua Renata merentur,
Hoc pia progenies, exere Iane caput.
Hoc tot magnanimi proceres, hoc sancta precatur
Curia, quid cessas? exere Iane caput.
Hoc pueri, matresq; rogant, hoc grandior ætas,
Si quis honos genti est, exere Iane caput.
Euge ueni formose ueni, sat acerba Decembris
Frigora pertulimus, bellule Iane ueni.
Fallor, an, aurora roseos ducente iugales,
Ianus adest. certum est, extulit ille caput.
I puer, & graciles Philira mihi necte coronas,
Profer, & antiquis pura falerna cadis,

Ianus adeſt, da uina focis, da thuris aceruos,
Tota mihi eoo fumet odore domus.
Cernis ut exultans bifrontis imagine Iani
Eridanus uitreas eiaculetur aquas:
Vt reduci gratentur aues, ut flumina circum
Neſcio quid ſolito mollius ore canant.
Fauſta mouent uolucres, feliciter incipit annus;
Credite, felices quiq; ſequuntur erunt.
O ſalue bone Iane, boniſq; inuecte calendis;
Sæpius Alcidæ tecta reuiſe pater.

AD GABRIELEM CESANVM.

QVANTVM magna tibi Ferraria diſplicet uni,
Ipſa mihi tantum delicioſa placet.
Namque hic regali ſunt ſtructa palatia ſumptu,
Vertice quæ ualeant tangere ſumma poli.
Et delubra Deum uariis conſtructa columnis,
Quæ doctæ aſſurgunt arte ſuperba manus.
Hic plateæ, lataæq; uiæ, queis tota iuuentus
Siue pedes, uel eques, currere adulta queat.
Hic hominum comis cœtus pulchræq; puelle,
Quæ forma cunctas exuperant Veneres.

Atque

Atque hic Vulcani tormenta educta caminis,
Herculis excelsa quæ fabricata manu;
Hic Padus excurrit prope mœnia maximus, ille
Rex dictus Latiæ nomine solus aquæ;
Hinc uada salsa uagus tentat decurrere nauta,
Tam facile Eridani uoluitur unda salo.
Adde peregrinas merces, mercator ab omni
Quas uehit occiduo, siue Oriente polo.
Sunt hic argentiq; ingentia pondera, & auri;
Qualia Germanus, Persicus, Indus habent.
Omniparens tellus fœcundo est florida partu,
Messibus est multis fertilis omnis ager.
Hic grauidum pecus est, armentaq; pinguia passim,
Vndique tam grato gramine terra uiret;
Quòd uero austeri non sit tam prodiga Bacchi,
Producens tenue benigna terra merum;
Non abies crescat, non duræ robora quercus,
Sola leuans tenui membra calore salix;
Iccirco patiare gelu Cesane, sitimq;;
Est tamen urbs aliis dotibus aucta suis.

AD

AD HERCVLEM ESTENSEM, Ferrarienſium Principem IIII. & Carnutum I.

SPlendor Ateſtini decus es qui ſanguinis, & qui
In tua deiectas paſcua mittis oues,
Quiq; truci populum ſubducis ab ore tyranni,
Viuat ut in placida pace domoq; ſua;
Hunc ſeruans, tollensq; manu, fulcrumq; ſubinde
Herculea ſubdis uiq; animoq; pio,
Hic ubi tuta ſibi poſuit ueſtigia, ſedemq;
Alma quies certam, repperit æger opem.
Hæc quoniam tibi ſunt diuum data munera, tanto
Haud puto me indignum munere poſſe frui:
Porrige opē Princeps, potis es, ſimul optime cōfer
Auxiliatrices in mea uota manus:
Nam prompta obſequii iubet hoc patientia noſtri,
Et tibi ſeruata pectora cuncta fide.
Id tibi erit paruum, quoniam tibi magna ſuperſunt,
Et mihi, cui deſunt paruula, magna dabis,
Quòd mihi ſollicitos poteris mulcere labores,
Atque animi curas rite leuare graues.

AD

AD EVNDEM

QVAS tibi pro meritis Princeps clarißime laudes,
Quo tua grandiloquo carmine facta canam?
Inclyta quem probitas longe ad maiora reseruat,
Vt ueluti è cœlo Phœbus in orbe mices.
Vix poßet numerare tuas dux inclyte laudes,
Qui Phrygis errores & fera bella canit.
Iam uolitant immensa tuæ præconia famæ,
Iam uolitat nomen docta per ora uirum.
Tu patriæ populiq; pater, tibi publica cura,
Tu pietatis honos, iustitiæq; decus.
Seq; tuo tradi uoluit prudentia sceptro,
Canaq; cum sancta relligione fides.
Diceris in terras ex alto missus Olympo,
More Iouis, populos quo tua dextra regat;
Quos ita restituet tua quæ sapientia summa est,
Vt ueteres frustra iam memoremus auos.
Sed quid ego Herculeas pygmæis carmine uires
Aßimilo, & uasto flumina parua mari?
Non tecum priscos ausim componere reges,
Tu melior quouis Principe solus ades.

AD FRANCISCVM ESTENSEM, Alfonſi Ferrarienſium Principis filium, ac equeſtris militiæ Cæſareæ præfectum.

MAGNANIMVM ſoboles & gloria clara parentum,
Inter Ateſtinos primus habende duces.
Quòd pius Aeneas, quòd fortis uixit Achilles,
Hector & Iliacæ firma columna domus:
Scipio quòd uicta rediit Carthagine uictor,
Quodq; ſuo exuuias Cæſar ab hoſte tulit:
Et quòd nunc, ueræ fidei tutela decusq;,
Inuictus Cæſar conſpicuusq; uiget:
Innumeris uatum clareſcunt carmina factis,
Nomine priſcorum magnificumq; ducum.
Sic (obſcura licet, nec tanto Principe digna)
Clareſcent factis carmina noſtra tuis.
Reſtituis Belgas, infeſtoq; eripis hoſti,
Subtrahis & duro colla ſubacta iugo;
Tempore quo ductor Gelrhorum milite ſeptus
Vaſtabat pingues ſanguinolentus agros.
Inde manet nomen, labor & ſudatus in hoſtem,
Inde tuus regnat Cæſar, & ille fugit.

Quis tua grandiſono celebrabit facta cothurno?
Hæc tuba Mæonide, hæc muſa Maronis erat.

AD LANFRANCVM GYPSIVM, ſummum Ferrarienſium Principis Procuratorem.

NON ne ſub obiicibus latitat Vulcanius ignis,
Et tamen incluſus ſpiritus intus ineſt?
Non ne etiam rutilum pluuias poſt ſæpe reducit
Delius, ardenti uectus in axe, diem?
Non ne etiam hunc cæca totum ſub nocte latentem
Cernimus auratis mane redire comis?
Non ne etiam occultat florentes ſpina racemos,
Et tamen humenti ſubrubet uua mero?
Non & bruma cadit gelidis comitata pruinis,
Cum matutino rore madeſcit humus?
Nyſææq; latent obducta fronte ſorores,
Mæonia quamuis tempora fronde uacent.
Non arbor, non planta uiret, non gramina ſurgunt,
Cum torpet cano terra peruſta gelu?
At cum flant Zephyri, glacie cum terra ſoluta eſt,
Prata uirent, ſurgit non prius auſa Ceres.

Erumpunt

Erumpunt gemmæ tunicis in palmite fiſsis,
Luxuriat denſis quercus opaca comis.
Sic me Gypſe puta, quamuis mihi uena puſilla eſt
Carminis, ad laudes ſurgere poſſe tuas:
Si tua, quæ nunquam patitur reticere poetas,
Inſpiret muſæ mollior aura meæ.

EPICEDION.

Cæſar Fregoſius loquitur.

HEV quis iam rebus firmet ſua uota ſecundis?
Succedunt lætis triſtia temporibus.
Dum Veneti fueram miles, ductorq; ſenatus,
Omnia, quæ poterat, ſors mihi larga dedit.
Gens præclara meum uenerata eſt Gallica nomen,
Quin etiam Hiſpani me tremuere duces.
Vidit & inſtabilis ſors me ſuper æthera uectum,
Riſit, & ex alto traxit ad ima caput.
Nanque ego, Rhinconi ſolus dum iungor, ad oras
Turcarum à Gallo qui modo miſſus erat,
Heu miſere occumbo inſidiis exceptus iniquis,
Mergor & in medio corpus inane Pado.
Sic reges regna ipſa premunt, ſic tempore paruo,
Maxima quæ fuerant, præcipitata cadunt.

MONODIA IN CAMILLVM fratrem carissimum.

AH NIMIVM transacta tuæ cito tempora uitæ,
Ah nimium celeres in tua fata deas.
Tu tamen o, facili nutu qui sidera torques,
Necte iterum fratris fila resecta mei.
Motus erat dictis, cum protinus ora Camillus
Sustulit, & tremulo hos fudit ab ore sonos.
Iam mihi summa quies, iam præmia læta parantur,
Dulcis adest tandem funeris hora mei.
Sed uos fœmineo quid funditis ore querelas?
Quid iuuat emeritum detinuisse uirum?
Nō me blandus honor, nō me labor improbus auri,
Non reuocet toto quidquid in orbe iuuat.
Quid mihi, si cantus inter mollesq; choreas
Fluxissent omnes ad mea uota dies?
Sed tandem fessum uocat in sua regna clientem
Christus, & hinc celeri me iubet ire pede.
Vos igitur fratres, genitorq; o Guide ualeto,
Et mea sub memori condite dicta sinu.

AD

AD DIVAM IVNIPERAM Malateſtam.

DVM tua ſideras æquantia lumina flammas,
Et placidos uultus Iunipera aſpicio,
Pallada tunc uideor Cyprinq; uidere dolentes
Inuidia ſparſis crinibus ingemere.
Et merito, nam pulchra nimis ſpectacula præbes,
Inſidet & roſeo mirus in ore pudor.
Quaq; moues artus, artus opobalſama ſpirant,
Igniuomas iaciunt lumina mota faces.
Mirantur Phœbusq; pater, doctæq; ſorores,
Dum lepidum profert blandula lingua melos.
Seu graderis, lætæ Charites comitantur euntem,
Siue ſedes, tellus ſuggerit alma roſas.
Et circunſtrepitant riſus, facilesq; cachinni.
Quidquid agis, tota es Gratia, tota Venus,
O decus egregium, rara o clariſsima forma,
Digna polo, à ſummo digna Tonante rapi.
Aurea fatales ducant tibi penſa ſorores,
Nec decus eripiant ſæcula longa tuum.
Sed quò me miſerum retrahit tam dira cupido?
Aeterni ut cupiam quæ mihi cauſa mali?

AD

AD IVLIAM.

NON ego fortunas Crœsi, Liciniq; potentis
Expeto, nō quidquid uoluit arena Tagi.
Optatis modo det uotis me posse potiri
Iulia, Persarum non ero rege minor.
Tantum forma ualet, tanti est spectata uenustas,
Et qui sidereo splendet in ore nitor.
Huic est forma potens, sunt æmula lumina flammis,
Lumina quæ possent sollicitare Deos.
Hæc candore niues uincit, superatq; rosarum
Fulgorem, in toto corpore nulla nota est.
Quidquid agit, siue incedit, siue ac cubat, aut stat,
Aut sedet, ornat eam subsequiturq; decor.
Iuppiter hanc uideat, subito descendet Olympo,
Fiet olor, satyrus, taurus, & Amphytrion.
Ah ubi te uideo, promittit spes mea de te,
Tu nihil, at semper claudis iniqua fores.
Cur mihi perpetuas noctes ingrata querenti
Ante fores, surda respuis aure preces?
Scis ut uerus amor sibi mutua uincula poscit,
Scis ut coniunctos mutuus ignis alat.

Ergo

Ergo meis fueris quoties inuicta querelis,
Et cum despicies uota precesq; meas;
Imprecor iratos superos, umbrasq; silentum,
Nec minus anguicomas in mea fata Deas.
Nanque prius mundo tellus alimenta negabit,
Phœbus & occiduo ducet ab axe dies,
Et Tagus Eridanum Xantusq; augebit Iberum,
Effluat ex animo quàm mea uita meo.
Sic me uexat amor, sic me ligat ille uolentem,
Et sæua imperio me premit usque suo.
Quæ mihi diuitiis, anima mihi dulcior ipsa,
Carior est geminis quæ mihi luminibus,
Hei mihi mutata es cur Iulia? nam mihi uita
Inuisa est, nec lux, nec iuuat ulla quies.
Viuere non possum sine te mea Iulia: quæso
Elige, me ne uelis uiuere, me ne mori.
Me sub amore tuo consumat longa senectus,
Tu mihi primus amor, tu mihi serus eris.
Effugere hoc nunquam potero, seu Nestoris annos,
Siue ego Phœbeæ tempora uatis agam.

AD

AD EANDEM.

EHEV, quid sine te solitos incendis amores
Iulia, deliciis semper amica tuis?
Te sine nulla iuuant pueri non tela, nec arcus,
Quid rogo uis? nobis te sine dulce nihil.
Iam tibi connubii spes est, uenit ecce maritus
Rusticus, & thalami scandere fulcra cupit.
Proh, tua Thersites est qui connubia poscit,
Qui reddet turpem teq;, tuumq; torum.
Qui stabulis fœtas solitus depellere uaccas,
Lanigeras solitus pascere semper oues.
Ah quoties illum uidi gestare per urbem
Lactentes uitulos, cornigerumq; pecus,
Ducere & errantes hircos, hirtasq; capellas,
Et potum pastos nocte dieq; greges.
Me miserum, rigidus turbat mea uota bubulcus,
Iniicit audaces in mea iura manus.
Ah morior, cum tam turpes intrare penates
Quæras, & uili subdere membra uiro.
Oscula præripiet diuum redolentia nectar?
Scilicet ore olido, quod nisi uirus olet.

Quale

Quale ſub infernis ſtygius canis efflat auernis,
Quale uel indomitæ ſtillat ab inguine equæ.
Hæc didicit paſtor manibus dum mulctra teneret,
Ad ſe blanditiis pelliceretq; gregem.
Illic inculto primum ſe exercuit ore,
Illic compreſsis dentibus ille fuit.
Illic & ſimili reuireſcent omnia fato
Semper in exitium Iulia bella tuum.
At tu fallacis fugies tam dira mariti
Baſia, congeſto quæ modo felle madent.
Et mihi ſi credes, conſtanti uoce negabis,
Ruſticus in thalamo ne cubet iſte tuo.
Ne te decipiat moneo, tua ſi bona neſcis
Seruare, ad meme nuda puella ueni.
Non ego te lædam (nec dicere uera pudebit)
Hærebis ſemper pectore ſola meo.
O quàm grata quies, o quæ tunc gaudia ſumes,
Gaudia, quæ poſsint ſollicitare Deos.
Ac rurſum formoſa meis ſtringenda lacertis
Euge ueni, uenias, euge puella ueni.
Baſia non deerunt etiam geminata, papillis
Et uenient geminis ingeminata tuis.
Magna peti fateor: ſed ſi non digna probantur,
Hoc tecum ueteris pignus amoris habe.

Ne liceat partes illi tractare latentes,
Hoc precor, & semper sit tibi uirginitas.

AD ANTONIVM A' GRANVELA Antistitem Attrebatensium amplissimum.

IAMDVDVM ausculto pronam suspensus in aurem,
Quæ noua sit capiti gloria parta tuo.
O utinam præsul rutilo splendere tiara
Dixisset crines nuncia fama tuos.
Iam prouectus equo gelidos spumante per axes,
Cœpissem Boreæ frigora dura pati.
Donec Cæsaream tandem deductus ad aulam,
Optata aspicerem gaudia tanta mihi.
Virgo daret portus fidei quæ conscia nostræ est,
Adq; tuos ferret me Dea sancta pedes.
Visa mihi insomnis Granuelæ stirpis imago,
Vtq; solet, nobis dulcis imago fuit.
Forma erat adsimilis qualis cum surgit ab ortu
Delius, & roseo ducit ab axe diem.
Serta refulgentes cingebant laurea crines,
Qualia Pegasides, qualia Phœbus habet.
His ego tam uariis formis agitatus, ocellos
Erexi cupidos protinus ipse meos.

Tum

Tum uidi ſplendore uias, impulſaq́; fatis
  Omnia plena uiris, omnia plena Deis.
Nullus ab occiduo fuerat tam diſsitus orbe,
  Certatim qui non mutua dona daret.
Gallia cœruleis aderat coniuncta Sicambris,
  Et munita ſuis Anglia littoribus.
Hic erat Epeirosq́;, erat hic Cyprosq́;, Rhodosq́;,
  Et poſitæ Adriacis inſulæ in æquoribus.
Adde alias urbes gemmisq́; auroq́; potentes,
  Quasq́; ſua Ligures ſub ditione tenent.
Ponè ſequebantur uariis ſuccincta pharetris
  Agmina Nympharum, quæ uada rauca colunt.
Prima dabat uiolas, ſerpilla Cytheris, & Hero
  Candida iuniperos, Deiopea crocum,
Aſt Ephire lauros, amaranthum Ceiris, Adonim
  Cynthia, Narciſſum Chloris, & Hybla roſas.
Parthenope caſiam, florentes Lydia myrtos,
  Abrotanum Pſyche, lilia Leucothoe.
Floribus innumeris hic certabatur & auro,
  Spectabatq́; nouum tota caterua Deum.
Quæq́; uehunt Venerem per florida rura, uidebam
  Flumineas blandum fundere carmen aues.
Et ſimul aeriæ uolitabant inde columbæ,
  Miſcentes rauco murmura læta ſono.

Cernere erat uarios ductos ex ordine circum
  Mulcentes turbæ pectora læta choros.
Omnibus unus erat uultus lætissimus, omnes
  Carmina tam fausto concinuere die.
Hic certe est quem Christus amat, quẽ dixit Apollo,
  Hic est iactatæ portus & aura ratis.
Sic pater è celsa prospexit desuper arce,
  Sic sua constituit te duce signa regi.
Hæc de te populus, festiuaq; turba canebat,
  Lætitiæ uarios emodulata sonos.
Quæ mea dum dulci mulcerem lumina somno,
  Cuncta uidebantur uera fuisse mihi.
Excitor, hæc firmentq; Deos precor omnia, somnos
  Esse ratos iubeant, perficiantq; meos,
Ne me deluso falsa sub imagine, longo
  Tempore te merita laude carere uelint.
Iam te Roma uidet tali dignissime cultu
  Fulgere, & tanto munere læta frui.
Curia te excipiet toto comitante senatu,
  Ad uultusq; feret protinus ipsa patris.
Cætera turba uirum felicia plectra sequetur,
  Purpureæ tollet quæ noua signa crucis.
Quid loquar herbarum suaues, quid thuris odores,
  Quid loquar hinc Arabum cynnama lecta manu?

Et

Et merito, quia te mortalia cuncta fugantem
    Crimina uirtutis carpere cernet iter.
Cedent insidiæ, rabies, periuria, fraudes,
    Ira, dolor, luctus, squallor, & inuidia,
Non ferus ensis erit, galeæ, tormenta, nec arcus,
    Vlla nec audebit dextra patrare nefas.
Nulla tributa prement aut uectigalia terras,
    Mens poterit curis libera, pace frui.
Iam bona peruigiles & nostra æraria fures
    Tuta sinunt, dites non rapientur opes.
Per fora clamosæ nec erunt tot stridula, lites.
    Nullus & inuiso carcere uinctus erit.
Terra suas tum mittet opes, & diuite gemma
    Ornabit uirides uitis opaca comas.
Te duce cuncta fluent liquenti flumina melle,
    Te duce summittet balsama mollis ager.
Qualia Idumæi reddebant semina campi,
    Qualia falcigeri sæcla fuere senis.
Prælargasq; dabunt inarata noualia spicas,
    Et tenerum tinget purpura rubra pecus.
Hic pecus, ille boues stabulis armenta locabit,
    Deducet pastas alter, & alter oues.
Alter succidet fruges, arcente galero
    Aestus, cum flauos Sirius urit agros.

Altera

Altera pars ſalices, oleas pars altera glaucas,
Aptabit uulſis ſentibus alter agrum,
Mitis & Heſperio Zephyrus ſpirabit ab orbe,
Flatibus antra mouens concaua dulciſonis.
Et ſimul è ſummo colludent uertice riui,
Colludet uiridi cœrula lympha ſolo.
Tum non aggeribus concreſcent flumina ruptis,
Non efferueſcet fluctibus unda nouis.
Tu pius, & prudens, tu ſeruantiſsimus æqui,
Antiquum ſuperas relligione Numam.
Roma ſuum iactat ſpecioſa laude Metellum,
Flagranti rapuit quòd pius æde Deam.
Quiq; fuit ſancto in fratres animoq; paterno,
Partitur proprias dum Proculeius opes.
Miramur, quos fama canit, prohibentq; poetæ,
Cimmeriis tenebris inclyta facta tegi.
Auditis uerum uiſos præponere iuſtum eſt,
Multorum nam tu quod fuit unus habes.
Triſtia nulla premunt, faciunt nec læta ſuperbum,
Vtriſque in rebus uultus & unus adeſt.
Nullaq; ſublimem delectant ocia mentem,
Nulla tibi mane eſt, ueſpere nulla quies.
Iam mihi, iam uideor lætos cantare poetas,
Et tua grandiloquo carmine facta loqui.

Cernere

Cernere iam uideor condigno munere uates
Donatos, quos hoc tempore solus amas.
Succurris miseris hac tempestate camœnis,
Ah tua si cesset dextera, littus arent.
Hinc mea, crede mihi, si quicquam carmina possunt,
Tempore non ullo laus moritura tua est.
Non ego cessabo precibus pulsare Tonantem,
Vt tibi det Petri posse sedere throno.
Sic pater ille Deum iubeat qui conditor orbis,
Qui regit arbitrio sidera cuncta suo.
Nam quis Pontificis melius succedet honori,
Cum senior meritos uiserit ille polos?
Te melius nemo Christi seruabit ouile,
Te pastore fluent aurea sæcla nouo.
Si quis erit qui forte neget, clamabimus, est est
Huic fatuum, & demens, & sine mente caput.
Interea uentis communibus acta phaselus,
Diuinam implorat iam Palinure manum.
Excipe me seruum domine, & patrone clientem,
Vatem Mecœnas, excipe pastor ouem.

DE EODEM VATICINIVM.

O POPVLVS nimium felix, o mœnia fausta
Structa manu, o diuum Romulidumq; domus,
O nimium dilecta Deo, quam mundus adorat,
Quam tremit inferni regia cæca Dei.

Sola decus terris, numerumq; auctura Deorum,
Porrige lætitiæ maxima signa nouæ.
Naulia nunc, citharæq;, & dulci barbita cantu,
Et populi uoces, sidera summa petant.
Vincite nunc flammis noctes, decorate Deorum
Limina, nunc costum, nunc date thura focis.
Nunc & flore uiæ, sertisq; recentibus halent.
Ocia nunc multis fausta diebus eant.
Nullaq; sint populo nigri uestigia uultus,
Indue purpureos fœmina uirq; sinus.
Turba sacerdotum populo comitante per urbem
Tota nitens cultu diuite sacra canat.
Aurea nunc terris Saturni redditur ætas,
Belligeras claudit Ianus uterque fores.
Ecce facit, lati reserat qui limina cœli
Granuela, Ausonio uiuat in orbe fides.
Ducamus faustas fora per spatiosa choreas,
Multiplices cultus quæque puella ferat:
Denique lætetur cui sunt bona publica curæ,
Votaq; uenturo det pia pontifice.

LIBRI OCTAVI FINIS.

HIERO-

HIERONYMI FALETI POEMATVM

LIBER IX.

DE CAL. IANVARIIS.

AD HERCVLEM ESTENSEM, FERRARIENSIVM, Principem IIII. & Carnutum I.

IANE biceps, dum rus abeo, uillamq; reuiso,
Quò socer, & coniux imperiosa uocant,
Alcidæ populos, & regia tecta subito
Aureus, & niueo uectus olore pater.
Scis bene quem dicam, nec enim moderatior ullus
Viuit, & Ausoniæ regna superba tenet.
Expectas quæ dona feres? en accipe mille
Felices annos, & sine fine dies.
Talia ieiunis nascuntur dona poetis.
Si meliora forent, & meliora darem.
Si de me quæret, dices, ualet ille, rogatq;
Nescio quid. nouit cætera, perge modo.

AD EVNDEM.

ETsi diuitias non des mihi maxime Princeps,
Nec modo marmoreas, conſpicuasq́; domos:
Commoda nec uitæ des conuenientia noſtræ;
Nec tribuas culti iugera magna ſoli:
Sufficiet ſi me peramas, & ſedulus in me
Eſſe putas, quod uel ille, uel ille probet.
Et ſatis hoc, dulce ſcribas, blandeq; reſcribas,
Atque tuo dignum ſemper amore putes.
Hæc mihi diuitiæ ſint, lati iugera campi,
Perſarum gemmis & mihi pluris erunt.

AD CHRISTVM IESVM VT Herculem & Renatam Principes Ferrariæ ſoſpitet.

NAscere Idumæis promiſſe parentibus olim:
Vera Dei proles, naſcere magnæ puer.
Naſcere,

Naſcere, & humanis precibus ſi forte moueris
　Dexter ades dominis principibusq́; meis.
Iſte pares animos opibus gerit, illa pudoris
　Exemplum, & raræ eſt norma pudicitiæ.
Cumq́; tuas ambo certent procumbere ad aras,
　Non opis eſt noſtræ dicere, uincat uter:
Sic illos pius urit amor, ſic mutua iungit
　Relligio unanimes, & pietate pares;
Exoreris uenerande puer, tua munera cerno, et
　Sunt mihi ſiderea lumina tacta face.
Sancte ueni, felixq́; meis precor annue uotis,
　Firma pro dominis quas tibi fundo preces:
Pelle graues iras Martis, compeſce furorem,
　Paxq́; tuo redeat numine miſſa polo.

AD ALFONSVM PRINCIPEM.

MAGNE puer, magnos olim ducture triumphos,
　Pro Latio quoties ſumpſeris arma manu,
Pro Latio, quod nunc externo marte ſubactum
　In te magnanimum creſcere cernit auum.
Interea ſtudiis dum mollibus aptior ætas
　Eſt tua, & ad Gallum forte parabis iter,

Pierios mecum saltus, & amœna uireta,
Antraq; musarum casta subire iuuet:
Texit ubi geminas iam nunc tibi fama corollas,
Veridicaq; aperit uoce futura Themis.
Scilicet ut Phœbo Martiq; addictus alumno
Et facias, &, quæ feceris, arma canas.

AD EVNDEM.

NON, quia consiliis egeas puer inclyte nostris,
Hæc præcepta tibi qualiacunque damus.
Nam tibi purgatos & dignos Principe mores
Qui neget, ille diem luce carere neget.
Sed quia uirtutis breuis hic documenta libellus
Continet, & uirtus est tibi sola comes.

AD COMITEM
Galeacium Tassonum.

VERA tribunicii Tassoni iuris imago,
Floruit antiqui qualis in urbe Remi,
Cōmendāt sua Pierides tibi sacra puellæ,
Sacra tuo quæ sunt digna fauore coli.

Illa diu neglecta tuas uoluuntur ad aras,
Vtq; uelis meritam ferre precantur opem,
Certa manet merces, doctis celebrabere chartis
Doctus, & æternum fama loquetur anus.
Hactenus egregiis uixisti clarus in armis,
Nunc placidæ libeat munera obire togæ.

IN OBITVM FRANCISCI Venerii, Venetorum Principis.

QVI leges, qui iura domi largitus, & altos
Continuit Reges, & uaga corda ducum,
Indomitam haud potuit Princeps diuertere mortē,
Parcarum nequiit continuisse colum.
Sed quid durum illi mors hæc? cum regna beatus
Incolat, in media luce, sinuq; Dei?
Purus ubi sanctusq; graui compage solutus
Corporis, ætherio syderis igne micat.

AD GALEACIVM GONZAGAM.

EST qui prælonga deducat origine nomen,
Et referat ueteres nobilitatis auos.

Vel qui diuitiis generosaq; stemmata iungat
  Et se felicem laude ab utraque ferat.
At cui sit uirtus, uirtuti copulet uni
  Et sua cum summis stemmata diuitiis,
Et numeros condat, uel docto pectore, & ore
  Multiplici surgat magnus in eloquio,
Sit patriæ gratum exemplar speculumq;, quod Ocni
  Antiquis referat lumina imaginibus.
Nullus erit, nisi tu Galeax celeberrime, cui tot
  Virtutes, & tot dona dedere dei.

AD APOLLINEM VT FRANciscum Venerium, Venetorum Principem sospitet.

PHOEBE pater, si quæ pietas tibi, si qua salutis
  Humanæ, & Veneti si tibi cura soli,
Affer opem optatam succis, herbaq; salubri,
  Nec pigeat medicas huic adhibere manus.
Redde precor uires ægro primumq; uigorem,
  Et da Nestoreos uiuere posse dies.
Ille decus Venetæ est urbis, decus ille cadentis
  Italiæ, prisci splendor & imperii.

Virtutem cuius Rhodanus miratur, & Hebrus,
Rhenus, & auratis quà Tagus ambit aquis.
Hoc pleno Padus ore tumet, tumet Adria, Martis
Nec timet ardentis ille uel ille minas.
Alcidæ hic ſpes una mei certiſsima, nanque
Hoc uno tutum ſe putat eſſe Duce:
Hunc mihi ſi incolumem ſerues, tibi taurus ad aras
Concidet, atque focis maſcula thura dabo.

AD FRANCISCVM VENERIVM, Venetorum Principem.

NON ab re tantum ſurgit tibi gloria Princeps,
Gloria mortales quæ fouet, atque Deos.
Imperium ingentem laudem parit, & parit ætas
Conſilium, & uirtus, quæ tibi ſola comes,
Egregii mores, comis natura, uigorq́;
Iudicii, & ſermo promptus in officio
Te attollunt cœlo; tibi dum memorabile nomen
Acquirunt, & te numinis inſtar habent.
Sic cum uera tibi conſurgat gloria Princeps,
Et laude inſigni regia ſceptra regas,
Nil mirum hæc ſi uaſtus Athos miratur, & axis
Gallicus, atque Indi zona remota poli.

AD

AD FRANCISCVM VARGAM
Oratorem Cæſareum.

AEGER erã paſſus fortunæ uulnera Vargi,
Perturbãt animũ quæ mihi ſæpe meũ,
Et nullo poteram ſucco, nec gramine, & arte
Sanari, medicæ nil ualuere manus:
Sed tua uis animi, facundi pectoris & uis,
Aegrum diuina pene leuauit ope,
Nam tanta humano tibi gratia fulget ab ore,
Et uigor arcano in pectore tantus ineſt.
Et quia conſilio magnus mihi factus Apollo es,
Conſilio gratus tu mihi ſemper eris.

AD DOMINICVM GABRAM,
Oratorem Gallicum.

QVOD tecum crebro uerſer, tecumq; loquendo,
Plurima agam à curis forte aliena tuis;
Non uires nobis cordi, nec Cæſaris arma,
Conſilio aut quo nunc per mare tentet iter;

Quamuis forte aliquid ſtomachetur Flādrus, Iberus
 Iurans me partis quislibet eſſe ſuæ :
Sed quid cum Gallo, mihi quid cū Cæſare ? tantum
 Alcidæ magni numina magna colo :
Conſpicui mores iuncti cum diuite menſa,
 Atque hilares inter ſeria dicta ioci.
Sunt cauſæ cur te inuiſam crebroq;, fruarq;,
 Et gratum obſeruem teq; domumq; tuam.

AD EVNDEM.

FERTVR Apollineas te conſuluiſſe ſorores
 Eridani, & medicas te ſubiiſſe manus.
Ah doleo, effugias moneo tot pharmaca, & artes,
 Quæ tibi longæui cauſa fuere mali.
Te non ulla agitat febris, non reuma, nec ardor
 Epatis, aut ſplenis triſtis amarities.
Sed magis excruciat corpus tua firma ſagacis
 Anxietas animi, continuusq; labor :
Linque igitur quæſo hæc, linque iſta negocia Regis,
 Et tandem cura uiuere Gabra tibi;
Sic facile è membris pelles ſine Apolline morbum,
 Et ſine ab Indiaco robore ſanus eris.
Proderit à primo ſi quæras fonte ſalutem,
 Vt tibi, qui uulnus intulit, addat opem.

AD EVNDEM.

SI tibi diuitiis fulgenti tenuia mitto,
Do tamen Aegidæ Pirythoiq; fidem,
Et tibi do pectus præcordiaq; intima dono,
Exhibeo & sanctæ fœdus amicitiæ,
Quod si diues ero, cum te modo pauper adorem,
Munus aper, munus phasidos ales erit.
Ingentem metire animum, non dona Faleti,
Siue tibi aligerum, quadrupedem ue dabit.

AD PETRVM VANNIVM Oratorem Anglicum.

QVOD me tam raro uideas, celeberrime Vanni,
Nec fruar alloquiis crebrius ipse tuis,
Te tamen obseruo, nec te uenerarier absens
Desisto, officii sat memor usque mei.
Me curæ exurunt, & magna negocia magni
Herculis, hæc uigilem nocte, dieq; premunt.
Sed quod non ualui coram præstare, putato
Pectoris id factum sedulitate mei.
Hoc animi addictus studio, te semper amabo,
Teq; colam, & nobis numinis instar eris.

Quod

Quod gratum ſuperis, gratum tibi, Iuppiter aras
Non niſi ad ardentes corda, animosq; petit.

AD IACOBVM LEONARDVM, Oratorem Vrbinatem.

Est tibi nobilitas olim conceſſa parentum
Maxima, & innumeris priſca relucet auis,
Eſt ſatis, ingenii ſed uis tua inuida, & acre
Iudicium, ueræ nobilitatis honos,
Eloquii, & flumen labris quod ſurgit apertis,
Naturæ proprium quod reor eſſe tuæ,
Eſt magis hoc; his te ſublimem ad ſidera tollis,
Heroum ſuperas, ſemideumq; animos.

AD EVNDEM.

Cvm legum ſolers numeroſa uolumina uerſes,
Sisq; unus miſeris anchora tuta reis,
Et ferias montes numeris, atque arte ſenatum
Eloquioq; trahas, conſiliesq; Deos;
Ingenio ducas fortes ad prælia Martes,
Sintq; tua toties parta trophæa manu;
Nil mirum ſi Mars, ſi Phœbus, & aliger Arcas
Dedicat in templis tot benefacta ſuis.
Te & triplici fultum ſtudio, terno ore Faletus
Diuinum in terris, ſemideumq; uocet.

AD BENEDICTVM AGNELLIVM, Oratorem Mantuanum.

DVM petis Ogigiæ, magniq; Bianoris urbem,
Et petis Alcidæ mœnia clara mei,
Et te nobilitas gremio complectitur omnis
Assonat applausu terra, uel unda tibi,
Seu te rura tenent, ubi blanda, & amœna Lycoris
Inq; tuos properans ludat amica sinus,
Ad nos seu celeri tecum redit abiete Vargas
Nereides gratum concomitentur iter,
Et residens puppis medio stet Mincius altæ,
Atque Padus uitreo tollat ab amne caput;
Elabi ne nos patiaris mente, sed inter
Læta tui memores gaudia semper habe.
Nanque Ducem quoties, Venetumq; inuiso senatũ,
Ante frequens oculos isq; redisq; meos.
Si quando de te nobis sermo incidit, omnes
Laudamus genium, deliciasq; tuas.
Delicias dignas uel Rege, Agnelle. beatus
Cui uita est lepidis, ut tua, mixta iocis.

EPI. PAVLI LVCTATII.

ACER, & inuictis alter Gradiuus in armis,
Nec minus Ausoniæ clarus honore togæ.

Hic ſitus eſt Paulus Luctatius. o ſuperi, o Mors
Num dubitamus adhuc numina poſſe mori?
Clara tamen monumenta uiri. nam crebrior hoſtis
Fuſus, & inuicta parta trophea manu.

DE HYDRA HERCVLEA.

SEPTEM ingens gyros, ſeptena uolumina uerſans
Altera Lernæis Hydra latebat aquis.
Hæc uitiis animoſa ſuis Stigys arma minatur,
Et fremit, & diro uirus ab ore uomit.
Vtraque magnanimi labor Herculis, occidit illa,
Et uirtute mei principis iſta cadet.

AD SERENISSIMAM REGINAM Bonam, Lauiniæ Faletiæ.

VT læta aduentu cari fit ſponſa mariti,
Sic læta aduentu eſt terra, ſalumq; tuo:
Et ueluti cæca merſas caligine terras
Exoriens radiis ſol beat ipſe ſuis,
Sic Regina meos recreaſti magna parentes,
Lumine qui aduentus proſiluere tui.
Tu nobis lucem, tu nobis lumina præſtas,
Et uitæ reddis munera cuique ſuæ.

Has igitur magni Alcidæ tua uirgo penates
  Vſque colam, & ſacro quod pede diua teres.
Pectoris interea noſtri penetralia ſume
  Imperiis omni tempore prompta tuis.

AD EVNDEM.

VADE bonis auibus, uento Regina ſecundo,
  I pete Barrenſis regna beata ſoli.
Aeolus accipiat uentos, & carcere claudat
  Eurum, compeſcat compedibusq; Notum.
O utinam poſſem ualido cum remige tecum
  Currere ad Apuliæ littora læta maris.
Regales tecum luxus, pompamq; uidere
  Maxima Sforziadum qua nitet aula ducum.
Tum celebris Barri formam, puerosq;, ſenesq;
  Conferre aduentu munera grata tuo.
I felix Regina, tui memor eſto Faleti,
  Omnia ſint uitæ tempora fauſta tuæ.
Vt poſsis prodeſſe mihi, prodeſſe & amicis.
  Hoc tantæ proprium Principis officium.

AD

AD IVSTINIANVM CONTARENVM, ſenatorem ampliſsimum.

Corporis exiguæ quamuis nunc ſint tibi uires,
Et premat articulos ſæua podagra tuos,
Permanet ingenium uiuax, uisq; integra mentis,
E numeris conſtans Iuſtiniane ſuis,
Eloquii flumen, cultæ & facundia linguæ
Suauiter æthereo perlita rore fluens.
Nobilitas animi non deeſt, non clara propago,
Nec ſimul antiquæ nobile ſtemma domus;
Conſpicui mores, quales Numa comprobet omnis,
Et qui flagranti ſuſtulit æde deam.
Ergo magiſtratus omnes, ſacra iura ſenatus
Digne obis, & refoues conſilioq; iuuas.
Quare, etſi ualido careant nunc robore uires,
Fortior es cunctis dotibus hiſce tuis.

AD EQVITEM FIASCVM.

Qvòd tibi diuitiæ creſcant, quòd cenſus, & omni
Parte ſubaureſcat amplificatus honos,
At multum tibi, pariter mihi, gratulor, ex re
Hinc puto me tanto munere poſſe frui.

Nam

Nam quidquid Princeps, aut sors uirtus ue dederũt
Mi, reputo è gremio sortis inesse tuæ,
Idcirco addicti ualida tibi lege clientis
Sis memor, & soliti Fiasche patrocinii.
Interea placide stimulum precor adiice nostro
Heroi, ut uotis sit pius ipse meis.
Quod si præstiteris, faueat quoque iusta petenti,
Te merito dicam nomine req; pium.

AD CYNTHIVM GIRALDVM.

IAM dudum de te quæro celeberrime Cynthi,
Vrget enim uitæ me modo cura tuæ.
An tu aliquid magnum felici carminis ausu
Tentans, insigni concinis arma tuba?
Versibus an dulces elegis depingis amores,
Blanda tuo quoties lusit amica sinu?
An tragico insurgis numero lyrico ue superbis,
Vnde nouum facilis barbitos edat opus?
An canis Estensis domus ardua facta, genusq;
Illustras ueteres commemorando Duces?
Exempla hinc sumens Alcydæ accommoda nostro,
Confirment mores quæ geniumq; suum.
An sermone potens numeroso facta Priuli
Forte canis Venetum concelebranda Ducis?
Quidquid

Quidquid agis, ſcribas ue, tibi me ſcito paratum,
Expoſitum uotis & ſine fine tuis.

DE VALETVDINE
Pauli Manutii.

CINGITE io uates uiridanti tempora lauro,
Tangite & Aoniæ fila ſonora lyræ;
Quiſque ſalutarem tabulam præfigat in aris,
Fundat & accenſis maſcula thura focis.
Noſter enim poſtquam uires, roburq; reſumpſit
Paulus, & è toto corpore pallor abit,
Pro quo tot lacrymæ profundebantur, & uxor
Mœſta ſuum queſta eſt ſæpius ipſa uirum,
Iam legit, & doctas Italis demonſtrat Athenas,
Romana mirum pandit ab arte melos,
Et rerum tractat cauſas, ſtatumq; potentis
Vrbis, & Auſoniæ mente uolutat auos.
Vnde ualetudo, cum ſit tibi reddita Paule,
Eſt Latio, & Graiis reddita uita ſimul.
Quas uobis ſuperi referam pro munere grates?
Cum facitis noſtro numine poſſe frui.

AD EVNDEM.

DVM uigil in Venetos lethali Syrius aſtro
Inflat, & in plebem ſerpit iniqua lues,

Si qua blanda precor nobis occaſio ſe ſe
Obtulerit, luce & proſperiore dies.
Viuamus, procerum curis omnino relictis,
Quidquid & infauſtum pectora noſtra premit;
Sed gratos luſus, lætos ſectemur amores,
Et quidquid riſus concitat atque iocos,
Proderit & placidis animum recreare camœnis,
Et Plato doctrina paſcere diue tua.
Talibus, atque aliis uitam ducemus in æuum,
Nec metuent triſtem corpora noſtra luem.

AD BARTHOLAMAEVM Mirolium, Ferrarienſium Prætorem.

NAM cum magna regas Alcidæ regna Miroli,
Atque premas iuſta crimina cuncta manu,
Cumq; ſub imperio teneas quibus & dare uitam
Nunc alio, atque alio demere iure queas;
Sis potis atque alios ſublima tollere ad aſtra,
Carceris atque alios trudere ad ima nigri,
Gaudeo, quòd iuſtus ſis, moribus integer, & quòd
Tempora ſint uitæ cuncta modeſta tuæ.
Hæc facient te ſponte colam ſtudioq; fideq;,
Simq; tuo ſemper promptus in obſequio.

AD

AD IOANNEM BAPTISTAM Pignam.

QVID canis Icarii mœstus tibi tempore scribam?
 Quo ruit in Venetos undique acerba lues?
En mihi musa fauet solito minus, ardua rerum
 Cura agitat Regis Herculis ipsa mei.
At tu, qui procul à morbo es, neque Principis ulla
 Detinet excelsi te modo cura tui,
Et tibi cui doctus spirat sua carmina Apollo,
 Et cui te uates præside plectra mouent.
Pigna edas uirtute tua condigna, quod ingens
 Aeternæ tibi sit posteritatis honos.
Dum uiget ingenium, cultæ & facundia linguæ,
 Et tibi diserti pectoris eloquium.
Nec desit qui te cupiat modo tollere ad astra,
 Ingeniiq; tui fertilitate frui.
Hinc tu sublimi patriæ dominaberis axe,
 Et dabitur seris hinc superesse rogis.

DE DVELLO PIGNAE.

NON ita Thericiæ distinxit Amazonis arma,
 Phidia sub clypeo Palladis armisonæ,

Vt tremebunda suo conscripsit Pigna duello
Prælia, sorte ubi Mars ciuit ad arma duos.
Nanque animo actoris prudens bellacis in hostem
Consulit, & simili consulit arte reo,
Inquirens rixæ seriem, quæ tollere pugnam
Posit, ut ostendat cui sit adeptus, honos.
Exempla hinc sumat cuius saluberrima, pulchre
Iam nobis aperit quæ latuere prius.
Quid quoque scriptoris queat ars, tu collige, disces
Quæ spicula actori sint, uel habenda reo.

AD NICOLAVM STOPIVM.

DVM mouet æstiferas insana canicula rotas,
Pro genio indulget dum sibi quisque suo,
Culinianei siccemus pocula Bacchi
Inter odoriferas ambrosiasq; dapes.
Atque rudes omnes epulas uitemus, & absit
Dura bouina caro, sicq; suilla recens,
Nam mihi, qui assueui lautis accumbere mensis,
Gustando heroum pocula iuncta cibis,
Non nisi regificis quæ sunt electa popinis
(Vt sunt perdicum fercula) uenter amat.
Et leporem, turdumq; cupit, Numidumq; uolucres,
Atque cothurnices, & placet ales Ithys.

Addere

Addere non possum lusus, placidosq;, iocosq;,
Nec quæ furtiuus gaudia sentit amor.
Hoc ætas grauior prohibet, prohibetq; potentis
Vsque obseruandi seria cura Ducis.

AD ALEXANDRVM GVARINVM Ferrariensium Principis à secretis.

MAGNANIMI Alcidæ curis admisse Guarine,
Vertice quem natum de Iouis esse reor,
Ad te nostra uenit tibi mille notanda lituris.
Quæ timet in rabulæ musa uenire manus,
Accipe quàm lætus; nam tot detergere labes
Cecropiæ mentis sola fauilla potest.

AD EVNDEM.

MAGNVS Alexander fuerat, tu nomina Magni
Digna refers, magno es magnus in officio.
Es pariter magnus doctrina, magnus & arte,
Ingenio magnus, magnus & eloquio,
Magna loquor dũ scribo tibi, iã quadrat utrunque:
Nil nisi magna loquor, nil nisi magna facis.

AD EVNDEM.

FRONDE triumphali si tempora nostra uirerent,
Essent Gorgoneo uel madefacta lacu.

Altius

Altius ò plectro tunc me non surgeret alter,
Protinus in laudes docte Guarine tuas.
Materies deesset uerum? patet area nobis
Latior, & causas mille datura nouas.
Aggrederer dotes animi, mentisq; recessus.
Cætera fortunæ, commoda nostra nego.
Flumen, & ingenii uires mirarer, & undas
Verborum ardentes eloquiiq; faces,
Si laudas, carpis, monstras, hortaris, & arces,
Dirigis arbitrio tota theatra tuo.
Sed quoniam uirtus paucis contenta quiescens,
Sat pretium per se dicitur esse sibi.
Nunc medio laudum cursu flectemus habenas,
Maior enim nostra laude Guarinus erit.

AD HERCVLEM ESTENSEM,
Ferrariensium Principem.

FIRMIVS Alcidæ cœlum ceruice pependit
Supposita, & stabili lege peregit opus.
Sic uirtus tot pressa malis, iam læta refulsit,
Consilio atque animi fulta uigore tui.

AD

AD EVNDEM.

Amphitryoniade lætata eſt Italia tellus,
Dum fera monſtra acri ſuccubuere manu.
Nunc duce te Eridani populi lætantur in uno,
Moribus atque armis cum ſcelus omne domes.

AD EVNDEM.

ASTAREVS natam terris dum quæreret æger,
Illum difficiles non tenuere uiæ.
Appulit huc tandem, tua quà Ferraria cœlo
Tollitur, irriguis quam Padus ambit aquis.
Lætus ut hunc uidit, trifido caput exerit alueo,
Et mœſtum placido ſuſcipit hoſpitio.
Scilicet hic, inquit, uirgo ueſtigia fixit,
Hic ubi Ateſtino cũm duce ſceptra gerit.
Talibus, annoſus pater hac requieuit in urbe,
Imperium & poſuit te penes omne ſuum.

IN PICTVRAM ANNAE Principis Eſtenſis.

FINGERET Eſtenſem diam dum Carpius Annam,
Sic reor huic tabulæ eſt indita uita ſimul.

Hanc

Hanc quoties ſpecto, tunc me ſpectaſſe uidetur,
Et quamuis nequeat, dixeris ore loqui.

IN EANDEM.

Si ſpectas Annæ ficta ſub imagine formam,
Eridani Nymphas, dixeris, Anna refert.
Quòd ſi non fictam, ueram ſed uideris, inter
Aetherias præſtat, dixeris, Anna Deas.

IN EANDEM.

Nvm Venus egreditur ponto, quã finxit Apelles?
An ne ea, Praxitelis quæ fabricata manu eſt?
Neutra quidem. Venerem ſed ſi quis deneget eſſe,
Diuinum tamen hoc nemo negabit opus.

IN EANDEM.

Anna ſuos picta dum cernit imagine uultus,
Neſcio quid tenui murmure uiſa loqui eſt.
Fallor, an hac picta lateo ſub imagine, Carpi
Viuus an hic docta ſpirat ab arte color?

AD TABELLAM.

Qvae nuper rudis arbor eras, nunc pulchra puellæ
Membra refers, debes hoc, reor, artifici.

Sed

Sed formoſa tibi debet magis Anna, quòd illi
Maxima de tabulis ſit data fama tuis.

TABELLA LOQVITVR.

ANNA ego ſum, quid ſpectas? ſim licet aſpera tactu,
Hos nequeas uultus credere forte meos.
Ne ſtupeas, ſi fallo homines: rex ſæpe Deorum
Iuppiter, eſt factus bos, equus, imber, olor.

AD ANNAM.

Admirans Cytherea tuam ſine labe figuram,
Affigens terræ lumina, triſtis ait.
O Dea, nec tecum uellem certare, ſub ipſo
Cauſa licet Phrygio iudice noſtra foret.

AD EANDEM.

Heſperiæ cum læta ſuas inuiſeret urbes,
Venit ad Eridani ditia regna Venus:
Et modo diuitias miratur fertilis agri,
Et modo Ateſtini mœnia clara ducis.
Hic tum forte tuam uidit ſub imagine formam,
Et pictum in tabula noſcere credit opus.
Quis mihi te ſimilem pinxit mea dulcis imago?
Sola meos uultus quàm bene picta refers.
Vera mei effigies, ait, eſt hic uultus, & ipſum
Pectus, & os, eadem lumina, labra, manus.
Vt uero Eridani Nympham te agnouit, obortis
Sic fata eſt lacrymis, quid iuuat eſſe Deam?

AD EANDEM.

Egreditur Cytherea mari, quis pinget Apelles?
Quis canet hanc docto carmine Mœonides?
Inueni. Carpensis erit qui pinget Apelles;
Et qui laude feret Pyrrhus, Homerus erit.

AD EANDEM.

Luserat hanc tenui dominam noua dextera cedro,
Phidiacha melior Praxitelisq; manu.
Sed fragilis nimium & cuicunque obnoxia fato
Infelix poterat mille pericla pati.
Non tulit hanc pollens musis & Apolline sortem
Saraccus, docto carmine sanxit opus.

AD ALFONSVM ESTENSEM, HERCVLIS Ferrariensium Principis filium.

Ab Ioue principium. Iouis est immensa potestas,
Ille regit terras, & regit ille polum.
Illi Pierii uates & carmina curæ,
Ille mouet cantus, & mouet ille lyram.
Ergo ades ò Alfonse mihi satus Hercule magno
Cum sis, quis sobolem te Iouis esse neget?

AD ALFONSINVM ATESTINVM ALFONSI Ferrariensium Principis filium.

Quòd lucem exoptes, lucem per lucida quæras,
Arua, nemus, montes, auia lustra petas.

Consilium

Consilium laudo, consumatiq; Catonis
Propositum, luce est clarius orbe nihil,
Noctua lætatur tenebris, lucemq; perosa
Nocte uolat, lucem sed Iouis ales amat.
Et quicunque cupit generosi nominis auras,
Alta petit, summi est infima despicere.

DE FORMA VIOLANTAE TROCTAE.

Intentus formæ uariis ego dotibus huius,
Mirabar tantæ nobilitatis opus,
Et dixi Venerem uultus, Phœbumq; capillos,
Pallada diuinos composuisse sinus,
Iuno manus dedit huic, dedit huic Latonia suras,
Et geminos oculos sidera clara Polus.
Huic amor aureolas Cyprio cum lacte papillas,
Pectoraq; alpina candidiora niue.
Formosas igitur pudeat ne huic cedere cunctas.
Quidquid enim in terris, sola decoris habet.
Iudicium fieret Paridis si rursus in Ida,
Ipsa uni huic posset cedere iure Venus.

AD CAROLVM QVINTVM CAESAREM,

Hoc prius ambiguum, dum te miramur in armis,
Alcides esset par ne minor ne tibi.
Nunc magis ambiguum, sis Carole uir ne, Deus ne.
Sunt tua facta uiri, sunt tua facta Dei.

AD EVNDEM.

Vix bellum incœptũ est, cũ uincis. uincere nec uis
Tam cito, quàm parcas. sic tria Cæsar agis.
Vna manus bellum præstat, manus altera pacem,
Nec tibi, quàm bellum, longior ira fuit.
Hoc tibi perpetuum nomen molitur, & utrum
Fortior, an ne sies mitior, ambiguum est.

DE EODEM.

Desine mirari, iam desine Cæsaris arma,
Qui legis, & uoluis fortia facta ducum.
Annibalis pariter mirari desine dextram,
Scipiadas, Decios, Aemiliosq; graues.
Desine Pellæi mundum ditione tenentis
Bella legens, Carli nam potiora uides.

DE EODEM.

Ivlivs ille ferox, cuius tam multa feruntur
Fortior facta foris, fortia facta domi,
Hispanos domuit, Gallos, Rhenumq; bicornem,
Addidit imperio te quoque Roma suo.
Successu tamen hæc fortunæ fecit, & illi
Debet tot populos totq; trophæa Deæ.
Carolus atq; quintus rerum qui torquet habenas,
Orbis quo semper sospite sospes erit,
Non ope fortunæ, non casu pugnat in hostem,
Dum toties fuso uictor ab hoste redit.

Consilium,

Conſilium, uirtus, mens alta & neſcia uinci,
Victrices faciunt Cæſaris eſſe manus.

DE EODEM.

CAROLVS arma Deus Mauros meditatur in hoſtes,
Et genus infidum perdere claſſa parat.
Carolus iſte deus Chriſti punire tyrannos
Præparat, & terra ſcindere regna mari.
At uos Romulidæ templis date uota ſacratis,
Cæſar adeſt, Cæſar Iulius alter adeſt.
Limina ueſtra ſuis ſpoliis oneratus inibit,
Romanis ſolitas reddet opimus opes.
Funde preces ſuperis urbs ò ſanctiſsima dignas
Altera libertas pax tibi parta uenit,
Et quoties uictrix per ſcuta, per arma, per enſes,
Sat fueris. toties hoc duce bella geres.
Pulchrior & maior tali duce facta, tyrannos
Ne timeas, hoc pro Principe uota dato.

DE EODEM.

Non qui ſemiferos potuit ſuperare bimembres
Pro thalamis pugnans Hippodamia tuis.
Non qui clauigero ſuperauit robore monſtra,
Vnde Molorchæi ſigna Leonis habet,
Cæſareis olim poterunt contendere factis,
Cur? quia ſunt homines, Carolus iſte deus.

MAR-

IN MARTES RVENTES IN ITALIAM.

Arma parant, uires acuunt in prælia Martes,
Appoſito quoties incaluere mero.
Commoda tunc pubes bellis, tunc apta iuuentus,
Tunc æqui montes, aſpera plana uia eſt.
Diſcurrunt calices, repetuntur pocula, murmur
Tollitur, Auſonio fit mora nulla iugo.
Deuinci populos, excindi mœnia credas,
Et Latium in prædam protinus omne rapi.
Cum tamen in longam uariarint pocula noctem,
Bellum, arma, atque iras ſubmouet orta dies.

IN OBITVM AVRASIAE PRINCIPIS.

Iam mugit tellus, & fulminat & tonat æther,
Et micat in terris ſtella minante coma.
Pugnant aſtra, ſolent certo quæ fœdere iungi,
Nec iam uult Marti blanda coire Venus.
Fluctibus aſsiduis exundant flumina campos,
Cernimus aduerſas orbibus eſſe uices.
Omnia te lugent morientem ſidera Princeps,
Qui nobis fato raptus es ante diem.

IN EVNDEM.

Certantem armipotens hunc Mars aſpexit Olympo,
Atque ait excelſo conuenit iſte Polo.
Stellifera uir ſumme ueni regione locandus,
Stellifera eſt capiti parta corona tuo.

Accipe nunc superum sedes, fortissime Princeps,
Accipe uirtutis præmia digna tuæ.
Purpuream excipiens animam super arce locauit
Empyrea, lateri composuitq; suo.
Ergo sedet cœlo Princeps fortissimus alto,
Et Martes cœlum gaudet habere duos.

AD IACOBVM FLISCVM, Sauonensium Antistitem.

VT gaudet redeunte suo noua nupta marito,
Sic est aduentu læta Sauona tuo,
Et ueluti cæca mersas caligine terras
Pœbeæ lustrat lampadis igne dies,
Sic tua lux Genuam, sic & lux illa Sauonam
Vrbes lustrauit te ueniente duas.
Publica tu curas, & Christi commoda, cuius
Te pastore lupum nulla timebit ouis.
Scilicet hic pastor bonus est atque integer, hic est
Qui Christi, quàm se curat ouile magis.
Nam quid nos cœli super aurea sidera tollit?
Mortales superis res facit una pares.
Nempe pares superis non multa pecunia, diues
Non toga, non luxus, non bona forma facit.
Sic petitur cœlum, sic maxima fama paratur,
Sic uiuet nomen post tua fata tuum.

AD

AD EVNDEM.

Ito bonis auibus, & uento Fliſce ſecundo,
I, pete Tarpeias, Romulidumq; domos.
Aeolus obſcuro luctantes carcere uentos
Claudat, inoffenſas det maris unda uias.
Neptunus faueat pater, Inousq; Palæmon,
Cæruleis Triton per mare curat equis.

DE LIBELLO IO. ROGII PRINCIPIS de poza filii.

Phidia magnanimi coniecit ab ungue leonis,
Quanta forent uaſtæ cætera membra feræ.
Fixaq; dum uidit Samius ueſtigia plantæ
Herculeæ, moles cognita tota fuit.
Sic etiam Rogii pedibus dum ſcripta ſolutis,
Et quamuis tenui cortice cernis opus.
Pars quotacũque tamen dotes tibi monſtrat, & artẽ,
Monſtrat & ingenii cætera dona boni.
Monſtrat & Hiſpanis quantum iubar exit ab oris,
Qualis & occiduo fulgeat orbe nitor,
Nectar & ambroſiam poſt hac effundet Iberus,
Iam Tarteſsiacis Sol orietur aquis.

IN LIBRVM PROSODION IOANNIS Berzoſæ Cæſar Auguſti.

Cœlitibus poſtquam tulit ignes fraude Prometheus
Arreptos mole eſt indita uita rudi.

Sic

Sic ubi Cecropiis liber hic remeauit ab antris,
Ceperunt uires Attica uerba suas.
Nanque decor linguæ penitus periisset Achææ,
Berzosæ si non lingua tulisset opem.
Nunc, quæ non ullo baculo suffulta lababat,
Denique quo se se fulciat Hellas habet.
Quamq; nota uocem propria illustrauit, & ipsis
Harmoniam uerbis indidit, immo animam.

DE RESPONSIS RIMINALDORVM patris & filii.

Oderat inuidiæ stimulis agitatus amaris
Tibridis Eridanus flumina sacra pater,
Non quòd uicinis foret hic illustrior aruis,
Aut quòd maiores sorte habuisset aquas,
Sed quia tot celebres fuerant, qui legibus illum
Ornarant, miris consiliiq; modis.
Vt uero paribus cœlum felicius ausis
Consilia hinc nati protulit, inde patris;
Ecce suum liquidis subito caput extulit undis,
Lætior & solitas ad mare uoluit aquas.
Sic tua progenies Ferraria sustulit omne
Iam decus, ut cunctis urbs Tiberina prius.

DE N. SPINVLAE LIBELLO.

Mirari Hesperidum iam desine roscida lector
Poma, uel Alcinoi rura beata senis.
Vel Tagus auriferis locuples quod uoluit in undis,
Vel quod purpureis Hermus abundat aquis.
Quid Dodona tuam iactas, quid Mœdia siluam,
Massice quid uites, quid ue Phalerne tuas?
Spinula, dul ce melos fert, cynnama, nectar, amomũ,
Chrysolitos, aurum, balsama, thura, Deos.

IN QVENDAM PARASITVM.

Quæ te causa trahit, dic ò miserande, Sauonam?
Dic mihi quid speras, quid petis inde tibi?
Agnosco gressusq; tuos, causasq;, iocos q;.
Heu quàm difficile est dissimulare famem.

IN EVNDEM.

Omnibus arrides, omnes miraris, adoras
Huius uirtutes, illius arma canis.
Illius mores laudas uitamq; pudicam,
Qualis laudati uita Catonis erat.
Verris humum, gestas humeris uel ligna, uel urnã,
Omnia quæ seruis sint obeunda iubis.
Nec facis hæc al io, quàm, quo tibi tempore uenter
Cantillat, res est officiosa fames.

IN EVNDEM.

Collige ſarcinulas, fuge barbare, ſi ſapis, urbem,
Si pudor inceſsit pectus agreſte tuum.
En pueri referunt de te miſerande triumphum,
Et nimis infamem te ſibi quisque putat.
Effuge, nam citris plebecula uilibus inſtat,
Ne petat irriſum ſæua ruina caput.
Sacculus infelix humero tollatur, ad ictus
Forte dabit clypei dum fugis, ille uicem.
Si petis unde fuga hæc ueniat, tibi barbare dicam,
Infidi pepulit rhetoris inuidia.

IN EVNDEM.

Barbarus ò pueri tegetes remeare paternas
Apparat, at deſunt quæ petit æra uiæ.
Turpe nimis ueſtra migrantem ex urbe magiſtrum
Mendicare caua ad limina nota manu.
Accipe, diſcipuli tibi larga uiatica prebent.
Barbare te paſcit, quæ fugat, ecce manus.

AD AMICVM.

Pollicitus cœnam uolucres oſtendis obeſas,
In trabe ſuſpenſas, nec data cœna fuit,
Et lepores capti canibus monſtrantur odoris,
Offers phaſiacam, ſed rapis unus auem.
Talia non laudat conuiuia Tantalus atrox,
Qui ſitiens ſtygiis ſemper inhæret aquis.

Hæc mihi mēſa ſapit, ſtomachum quæ paſcit egentē,
Non oculos quæ uult paſcere parca meos.

IN EVNDEM.

Pollicitus cœnam longo uaſa aurea ponis
Ordine, & hinc adamas, hinc micat albus onyx.
Tenduntur pictis aulæa intexta figuris,
Et nitet Attalico uellere tota domus.
Spectamus, nullas ſubolent tot uaſa popinas,
Mirari & ſolas turba iubemur opes.
Tolle aurum, dites & habe tibi Poſthume gemmas,
Curamus uentrem paſcere, non oculos.

AD AMICVM, QVI PERDICIS partem miſerat.

Fracto crure uolans noſtrum ad penetrale ſine alis,
Quod mirum eſt, nuper Dædala uenit auis.
Venit ab Heſperio perdix demiſſa Tonante,
Et parte auxilium corporis illa tulit.
Semianimem lacero reuocauit corpore uitam.
Veniſſet ſi ad nos integra, diuus eram.

AD DAMIANVM A GOES, equitem Luſitanum.

Non ſecus ac turtur caro uiduata ſodali,
Ex liquido nunquam flumine potat aquas.
Sic uxor poſtquam Gallorum præda fuiſti,
Plorauit raptum coniugis ægra ſui.

DE EODEM.

Louanum sitiens Damiano sospite fungi,
Et consumato posse Catone frui,
Obtundit sacras excelsi numinis aures,
Nec cessat Gallum sollicitare prece.
Annuerat Gallus, uenit Damianus ad urbem,
Accepit uultus protinus illa suos.

AD PHOSPHORVM.

Temporibus nostris quòd lites, iurgia, rixæ,
Vndique quòd uigeant horrida bella, minæ,
Vis, odium, fraudes, alieni dira cupido,
Bella ducum, cædes, insidiæq; graues,
Miraris? dicam si quæras Phosphore causam:
Tolle meum atque tuum, sæcula prisca dabis.

IN GELRHIAM.

Quòd fremit in nostram strictis mucronibus urbē
Gelrhia, & insana seditione ruit,
Infestatq; lares, perturbat iusq; piumq;
Gelrhia, nil mirum, relligione caret.

IN SAVONENSES.

Ciuibus una suis nunquam contenta Sauona,
Extremo quærit semper ab orbe uiros.
Ista sacrosanctis urbem qui legibus ornent,
Ista cupit doctos, quod petit intus habet.

Orphea

Orphea fac ſuperes chordis, Amphiona cantu,
Damnaret uerſus, plectra, lytamq; tuam.
Flagitat eloquium Ciceronis turba diſerti,
Qui ualet ingenio, quod petit intus habet,
Si Cicerone loqui poſſes facundius, urbe hac
Quid faceres? homines diligit iſta nouos.
Hæc habet urbs quæcunque queat ſibi poſcere do-
Muneribus cunctis ſola beata nitet. (na,
Aſt, uno tandem complectar ut omnia uerbo,
Cur ſua deſpiciat? lumine cæca ſuo eſt.

DE DIDACO PYRRHO.

Nocte ſuam tota formoſam Pyrrhus amicam
Mollibus amplexus non ſine mille iocis.
Cumq; oriente die ſtatuiſſet tradere gemmam,
Pro dono Venerem maluit illa dari.
Nec male conſuluit ſibi: nam laſciua Carybdis
Poſt Venerem, nummos non ſatiata tulit.

IN CIMBAM QVAE VEHEBAT PVELLAS ex Haga Hollandicas.

Curre per æquoreos fluctus placidiſsima, uaſtum
Perq; fretum, gelidas carpe carina uias.
Quæ ueis Hagenſes præſtanti flore puellas.
Quàm fieri cuperem nunc ego cimba leuis.

Tangere

Tangere quæ nequeo palparem membra, meisq́;
Interserta humeris mollia crura forent.

DE IVLIA IN VIRVM SVVM.

Cogitur alterius cari memor usque Faleti,
Iulia non faustis scandere fulcra Deis.
Sed quia formosa est, & deformissimus ille,
Aut nunquam, aut raro pax erit inter eos.
Forsitan inde breui diuortia tempora fient,
Iulia deformem non puto amare uirum.

ALIVD.

Iulia connubium Corydonis cur petit ultro?
Copula connubii maxima causa fuit.
Eius & optatis tuto recubare sub alis
Dum putat, & stabili uiuere connubio.
Repperit hunc Cybeles congressibus esse ministrũ,
Tantaq́; res nullis testibus acta fuit.

AD ANGELVM PAPIVM.

Quid miser in Blancam maceras te fletibus? ohe
Perpetuo ne cupis tristia uincla pati?
Sit satis interdum seruisse fideliter illi,
Sitq́; satis merito sæpe negata fides.
Ad quid tot lacrymæ? ualeant mala gaudia Blancæ,
Cui latet in duro pectore dura silex.
Blanca suos semper miseros contemnit amantes,
Hoc uitium tellus, Angele, & unda dedit.

Illa

Illa uno nunquam uiuet contenta marito,
Alueus hic uno non manet usque loco.
Si genus, & fluctus spectas, diffide; maritos
Mutanti toties nulla adhibenda fides.

AD IVLIAM.

Basia nec mihi das, nec uis mecum ipsa iocari.
Nescio quid dicam, cur mea uota negas.
Cur me despicias, si sum formosior illo,
Basia qui glacie frigidiora dabit?
Cur me despicias, si sum generosior illo,
Qui fert blanditias, nil puto præterea?
Quæ causa est igitur? dicam, sic suspicor, est est,
Hic tibi dat nummos, hei mihi cur careo?

DE SPLINTERO ARGHENIO, ET VINEA puella Hollandicis, ex Haga comitis.

Mulciber ætheree flamma Citheridos arsit,
Dilexit Phyllis Demophoonta suum.
Pyramus & Thysbem, Græcum dilexit Vlyssem
Penelope, uatem Lesbia doctiloquum.
Diligit ipse suam tantum Splinterus amicam,
Quantum ulli Veneres non coluere suas.
Hanc colit Arghenius, colit hunc & Vinea, fidum
Vinea & Arghenius par in amore suo.

IN

IN AMATORES VINEAE PVELLAE.

Vinea quidquid agit, nihil est nisi uinea, Bacchi
Ex hac delicias sumere quisque cupit.
Non est illla patens, & apertis masica prælis
Testa, nec in nostris nascitur ista iugis.

AD SPLINTERVM ARGHENIVM.

Prona nimis quæcunque placent, creduntur, amici
Et quidquid uolumus, credimus hoc faciles.
Credo, placet quòd sim felix, quòd diligar, & quòd
Ardeat affectu Iulia pulchra meo.
Sors inimica negat tam prospera fata petenti,
Non mihi tam facilis insidiosus amor.
Scires indomito quàm sim damnatus amori,
Cognosces misera conditione uirum.
Pœna premit, cæcæ consumunt pectora curæ,
Vror, & ingratam sedulus unus amo.
Ipse tuam laudas, nostros miratus amores,
Vinea dat uinum, Iulia sicca mea est.
Vera cano, mihi si qua fides, mendacia cessent.
Nec diuersa canet, sit nisi mentis inops.

EPI. IN GVIDONEM PATREM.

Si pius es quicunque legis, concede parumper,
Atque Deo pleno pectore funde preces.

Te rogat hoc ſaxum, Guidonis & umbra ſepulti:
Proq; tuum tali munere munus habe.
Sint tibi felices anni, dum uita manebit:
Sit facile ad ſuperos, cum morieris, iter.

EPI. CLAVDII STREMERII PARMENSIS nuper occiſi.

Claudius heu tumulo iacet hoc Stremerius, unus
Palladis, & patriæ qui decus omne fuit.
Qui uigilans ſacros legum penetrare receſſus
Dum quærit, diro uulnere adactus obit.
Oſſa iacent terris, animam ſed ſeruat Olympus.
Quid flendum eſt? nulli uincere fata datum.

IN PAVLVM PICTOREM.

Quæ lacrymæ? magni ducuntur funera Chriſti.
Occidit heu nati uicta dolore parens.
Quiſnam opifex? Paulus, ſola qui nobile dextra
Finxit opus, pridem trunca ſiniſtra iacet
Quòd ſi læua foret dextræ officioſa, putares (des.
Hunc Chriſtum, hanc matrē, quæ ſimulacra ui-

IN POLYPLVSIVM.

O cui diuitias Polipluſi diuite dextra
Sors dea, & immenſas accumulauit opes,

Largius

Largius utaris, moneo: nam cana senectus
Te sequitur, uitæ labitur hora breuis.

IN INVIDVM.

Quid tibi proficiunt uersus? cui carmine latras?
Ore hic cerbereo murmura uana sonans?
Desine iam tandem, perdis, mihi crede, laborem.
Quis furor in sterilem spargere semen humum?

IN EVNDEM.

Vox audita mihi nuper latrantis in urbe
Est canis, ignoro quis canis hic rabidus?
Cerberus est forsan, superas extractus ad auras,
Noxia qui spargat dente uenena suo.
Offerat huic uates medicatis frugibus offam,
Leniat ut rabidæ guttur, & ora famis.
Hic satur ut fuerit, rabiem deponet iniquam.
Tuta erit in terris tum mea musa satis.
Sin minus, æternum Regem exorabimus omnes,
Inferni ut repetat regia tecta dei.

AD DIVVM MARTINVM.

Numina nulla uacant cultu. tibi maxime taurus
Iuppiter, & Samiæ candida uacca datur.

Cedit flauentem Neptuno nauta iuuencum,
Contenta est sterili Palladis ara boue.
Tum Venus alma rosis lætabitur, occidit hircus
Bacche tibi, & Marti, bellua sæua lupus.
Lætatur centum bobus succincta Diana,
Traditur infernis hostia pulla deis.
Munera te Cereris, te Bacchi munera placant
Martine, & quidquid terra beata parit.

AD AMICOS CVM AEGROTARET.

Aeger eram, superos uotis mouistis amici.
Iam ualeo, iam sum redditus ecce mihi.
Gratia debetur per me sanctissima uobis,
Dat Pylades maius nil Agamemnonidæ.
Hoc uoluere meis testatum uersibus illæ,
Quæ mecum Aonides conualuere Deæ.

GENETLHIACON CHRISTI.

Exultemus, adest Christi lux conscia partus,
Vera Dei soboles extulit orbe iubar.
Exultemus, habent præsentia numina terræ,
Pulsa metu stygio delitet Hydra lacu.
Exultemus, homo rerum moderatur habenas.
O quanta est homini gloria, quantus honos.

IN BAGOVM.

Cur rabidum ſpargat uirus, fundatq; Bagous
Per fora, clamoſo gutture, perq; uias.
Debilis hic dicam quippe eſt, ſed uocibus audax,
Non aliud telum, quo tueatur, habet.

AD SAVONENSES.

Quid magnum in campis acies componere adegit,
Cogere totq; duces puluere in Aemathio?
In ſe ferre manus fortem inuictumq; Catonem.
Et uitæ audentem fila ſecare ſuæ?
Impulit & Brutum facinus memorabile inire?
Magnanimo ſub quo libera Roma fuit.
Aurea libertas, pro qua miſerabile bellum
Debebunt urbes excidiumq; pati.
Magnanimi proceres precor hãc defendite dextra,
Qua nihil in terris dulcius eſſe poteſt.

LIBRI NONI FINIS.

HIERO-

HIERONYMI FALETI
POEMATVM
LIBER X.

AD BAPTISTAM SARACCVM, FERRARIENSIVM
Principi à ſecretis.

QVi tuus eſt animo, tuus eſt qui pe-
ctore totus,
Et qui deuinctus tempus in omne ti-
bi eſt,
Hoc modo dat munus. paruum licet accipe. magna
Munera miſſurus, ſi licuiſſet, erat.
Non licuit, quoniam prohibebat ruſtica Muſa,
Quæq; illi è riuo paupere uena fluit.

AD LILIVM GREGORIVM GYRALDVM.

Candide noſtrorum cenſor Gyralde laborum,
Iudice quo carmen ſtatq; caditq; meum,
Tu facis edantur uulgo, quæ carmina nondum
Auctoris triuit lima ſeuera ſui.
Ergo tibi, ſi quid uitii rude carmen habebit,
Adſcribat lector: non mea culpa, tua eſt.

AD EVNDEM, ET AD BARTOLOMAEVM
Riccium, de obitu Ferrini.

Viuit adhuc, quid uos Ferrinum fletis amici?
Viuit adhuc lacrymis coniugis ille ſuæ.
Viuit

Viuit adhuc Lilii lacrymoſo carmine uatis,
Viuit adhuc ſcriptis Bartholomæe tuis.
Felicem Ferrini animam, cui contigit ore
Andino, & Marci uiuere in eloquio.

AD ALFONSVM TROCTIVM.

Aemonio Typhis, Phrygio Palinurus, Achilli
Autumedon, Troctus dux mihi ſemper erit.
At tanto maior Troctus me ſemper, Achilles
Autumedonte ſuo quàm duce maior erat.
Quid male ſane paras componere magna puſillis?
Hic mus, ille elephas, hic uir, at ille Deus.

AD ALBERTVM LOLLIVM.

Dic mihi cur ceſſent felix concordia, faſces,
Iuſtitia, & probitas, ius, & amicitia?
Succreſcant orbi contra mala plurima, bellum,
Seditio, improbitas, impietas, odium?
Sideraq; immittant in noſtras fulmina terras,
Diligat haud Venerem Mars, dea magna Iouē,
Inq; uicem pugnent mortalia? cerne pharetras
Præfractas, arcus, & fera tela faces.
Lolli uixit amor, probitasq;, & iura, piumq;,
Hoc eſt quòd tellus ingemit & lacrymat.

AD

AD GASPARA SCHETVM

Impiger Aegæum ſulcat mare nauita, merſis
Lucra petens remis; Ioniumq; ſecat.
Hic & ab Hiſpanis merces uehit, alter ab Indis,
Hic uehit ex Anglis, alter ab Adriacis.
Bella petit miles, prædam ut rapiatq;, trahatq;,
Poſſe ratus manibus tangere ſumma poli,
Hunc rapit audacem regni furioſa libido,
Proferat ut terris & ſua regna mari.
Hic notat Eoi radiantia ſidera cœli,
Et notat occidui ſigna minora poli.
Diſcit hic Hippocratem, medicasq; Machaonis ar-
Seq; ſacris totus dedicat ille libris. (tes,
Me pia delectant numeroſa uolumina legum,
Iam mihi pars iuſtæ cognita militiæ eſt.
Mon hic ſpes lucri, non hic ſpes certa laboris,
Quis furor in ſterilem ſpargere ſemen humum?

IN HORTOS BONIFACII BEVILAQVI.

Nectareos quicunque cupit decerpere fructus,
Atque fouere ſacro pectus odore ſitit,
Vmbriferos hortos, & amœna uireta ſubintret,
Prataq; magnanimus quæ Beuilaquus habet.
Nulla oculis tam grata uſque eſt, tam fertilis arbor,
Irriguo quam non curet ineſſe loco,

Candida

Candida quæ fuerat morus transſumpta figuram
Sanguineam, referens ſigna cruoris, adeſt.
Mala quoque accedunt, & baccis cærula ficus,
Flauaq; cum roſeis, coctona mala, pyris.
Pruna Damaſceni referentia nomina campi,
Hic ſunt, & uentri ſorbus iniqua pigro.
Hic uirides laurus, ſunt hic porrecta cupreſſus;
In cœlum myrtus Cypria, Iuniperi.
Hic uiolæ, hic picti flores, hic roſmarus, atque
Lactea coccineis lilia mixta thymis.
Hæc ſimulac heros pulchra reſpexit ab aula,
Sidereæ mentis grande leuamen habet.

AD HERCVLEM EIVS FILIVM.

Veniſti, nec te uideo, nec ut ante ſalutas,
Infenſum grauiter te reor eſſe mihi.
Nil ego peccaui, niſi ſit te iudice crimen,
Me deſiderio pene perire tui.
Aduentus noſtras tuus ut peruenit ad aures,
Quem non luſtrarim, nullus in urbe locus.
Nuſquam te uideo, ſi perſtas fidus ut ante.
Sit mihi fas tecum uel tria uerba loqui.
Aut referam è duris genitum te rupibus, ipſas
Et tibi lac Geticas exhibuiſſe tigres.

AD CAESAREM NOBILEM, FERRARIENsium principis à consiliis.

Triste supercilium, iustiq; seuera Catonis
Pectora, qui Curium, Fabritiumq; refers,
Maxima continget mihi gloria, si inter amicos
Nos etiam statues connumerare tuos.

AD PELLEGRINVM FVLVIVM MORATVM.

Optima suppeditas pueris præcepta Morati,
Aonii monstrans uere Heliconis iter.
Non te somnus iners, non te calor improbus unquã
Terruit, aut ludo surripuere graui.
Non hoc ipsa petit Parnasi turba sororum.
Hoc petit, ut serues, crede mihi, medium.

BARTOLOMAEO PROSPERI, FERRAriensium Principis à secretis.

Integer ò sanctæ uitæ & probitatis amator,
Moribus, eloquio, consilioq; graui,
Certa tuæ patriæ spes, anchora fida salutis,
Nostra, precor, portum te duce cimba petat.
Aequoreos fluctns & saxa Ligustica linquam,
Numine confisus Bartolomæe tuo.
Et tibi debebo post tempora longa, Faletum
Crede tui immemorem nulla uidebit hyems,

Si in

Si in me quid poterit ſacrarum turba ſororum,
Te mea, te ſumma laude, Thalia canet.
Ah pereat quicunque tuos lacerabit honores,
Atque iterum pereat qui tua damna uolet.
Ille Peryllæo dignus mugire iuuenco,
Sarmaticas omni tempore ferre niues.

AD PHILIPPVM NIGRI, MARIAE
Vngariæ Reginæ ſupremum ſcribam.

Belgarum quòd me gelidas ſors traxit ad oras,
Quòd proprios ſtatui deſeruiſſe lares,
Non me pœniteat ſi me uir ſumme clientes
Conſtitues inter connumerare tuos.
Non à me expectes argenti pondus, & auri,
Eſt pro theſauris intemerata fides.
Et ſincerus amor fuluo pretioſior auro,
Omnibus & gemmis ante ferendus erit.

AD HECTORA FLISCVM
patricium Genuenſem.

Hector, quem uirtus ſceptrum geſtare ſuperbum,
Et patriæ clauum iuſsit habere ratis,
Sidere quo nunquam dubitabit curua Faletus
Vela dare, & tumidis lintea plena notis,
Noſtra nec horrebit latrantem audire Carybdim,
Quæ ſolet in paruo ludere cimba lacu,

At me liuor adit, sunt qui me dente canino
Dilacerent, magnis corripiantq; minis.
Comprimere audaces solus potes ipse tumultus,
Qui facis ut uerbo tota theatra fremant.
Numinis est, misero, si forte immergitur undis,
Porrigere optatam sedulitate manum.
Quod nunc ut facias precor o pater alme. Faletus
Sic tibi perpetuo tempore seruus erit.

AD BERNARDVM SPINAM CALABRVM Genuensium prætorem.

Temporibus priscis lites, & iurgia, cædes,
Vidimus, insidias, horrida bella, minas.
Vidimus & rixas, incendia, furta, rapinas,
Vidimus & sceleri iusq; piumq; datum.
Sæpe suos ciues pellebant urbe tyranni,
Vrgebant miseros tristia multa bonos.
Iustitia hinc aberat proprio spoliata nitore,
Ne misera in lustris putida mœcha foret.
Vt magnæ uidit subnixum robore mentis
Te regere auspiciis mœnia nostra tuis,
Aurea, uera fero, cœlos Astræa reliquit,
Atque iterum Ligures conciliata colit.

AD

AD IACOBVM ALVAROTTVM, Ferrarienſium Principis à conſiliis.

Munera legitimis mittuntur plura diebus,
Turbaq́; ſeruorum curſitat, itq́; frequens.
Hic leporem portat, turdos fert alter obeſos,
Hic de Phaſiaco littore portat auem.
Antiquos igitur ſeruans ego tempore ritus,
Hæc tibi pro dono carmina pauca dabo.

AD LILIVM GREGORIVM GIRALDVM.

Cedite qui Latio ſcripſiſtis carmine bella,
Et quorum celebrat nomina fama uetus.
Lilius ingenio linguaq́; potentior omni
Aeternum noſtro tempore nomen habet.

AD CORNELIVM SVSIVM, CAESARIS à conſiliis apud Batauos.

Eſt in amicitiis tumidos qui quærat honores,
Eſt etiam faſtus, qui ue requirat opes.
His ego non moueor, ſed ſi quis pectora muſis
Ecxultus Latiis, Cecropiisq́; fuit,
Hunc ſolum admiror: quem ſi nanciſcor amicum,
Non uellem magni ditia regna Midæ,
Nec magis Aſsyrias gazas, aut Perſica regna,
Maxima nec uellem culmina Pyramidum.

Ergo tuos inter nos adnumerato clientes,
Deq; tuo sacros fonte bibamus aquas.

AD IDVS APRILES.

Prata uirent, & floret ager, uinetaq; frondent,
Multa canit uario gutture turtur auis,
Atque animi gaudent iuuenũ, quibus alma Dione
Spirat: at, æternum qui fleat unus, ego.

DE AMORE.

Hoc in amore malum, quo nullum denique maius,
Libertatem animi perdimus, atque animam.
Cuius in insidias postquam deuenimus, urgens
Seruitii patimur nocte dieq; iugum.

AD BAPTISTAM CYNTHIVM GIRALDVM.

Gyraldum saluere iubet Faletus amicum,
Qualem Pirythoum Theseos ante ferunt.
Te licet absentem intueor, te pectore toto
Accipio, ante oculos nocte dieq; uenis.
Nunc uideor te alta referentem uoce poetas,
Promere nunc satyram, promere nunc elegos,
Nunc & Aristotelis nunc & præcepta Platonis
Edere, nunc thusco carmina scripta sono.
Horum aliquid scribas igitur, si prorsus amicum
Non das letheis immemor usque uadis.

AD DIDACVM PYRRHVM LVSITANVM.

Quòd mihi Bistonium ſcribis concedere uatem,
Ducentem dulci ſaxa feraſq; lyra;
Falleris. ille noui mira dulcedine cantus,
In ſua naturæ iura trahebat opus.
Aſt ego uix quenquam poſſum oblectare canendo,
Atque eſt qui numeros improbet uſque meos.
Verum cara tamen ita ſunt tua carmina Pyrrhe,
Illis ut poſsit gratius eſſe nihil.
Tu modo ſuſceptum conſtanti pectore de me
Nomen amicitiæ fac ſine fine colas.

AD DOMINICVM SPINVLAM.

Spinula magna licet tribuas, maiora daturus
Munera, non munus Spinula amare facit.
Spinula diligeris non proter munera, quid tum?
Propter uirtutem Spinula diligeris.

AD GASPAREM SARDVM.

Quòd cupias, quòd ames, quòd tu mirere camœ-
Quòd tibi ſit cordi Theſpiadumq; chorus, (nas,
Ab re non certe eſt, fabri fabrilia tractant,
Aſsiduus ſermo eſt upilionis ouis.
Quando de curuo loquitur Palinurus aratro?
Et quando Corydon arma uirumq; canit?

Carminibus

Carminibus ſedare ſitim ſi tanta cupido,
Cur precor ad Lybiæ littora ſicca uenis?
Faſtidire poteſt tetricus mea carmina lector,
Talia nec naſum Rhinocerotis amant.
Sed quia non Pylades graue quicquã mittit Oreſti
Tu mea ſcripta leges qualiacunque, uale.

AD EVNDEM.

Cur pyra miſiſti ſtomachum lædentia noſtrum?
An noſti nimium Gaſpar obeſſe mihi?
Frigidus eſt ſtomachus, medici contraria donant,
Si ſanare cupis, feruidiora dato.

AD IO. BERZOSAM.

Carmina fœcundi mores redolentia uatis
Legimus, & noſtro pectore condidimus.
Quid cupis? exiguæ ſunt noſtro in pectore uires,
Et niſi quod Bauius, Buſconiusq; ſono.
Sed tu, quem larga Parnaſſus proluit unda,
Ede aliquid noſtro dulcius ore precor.
Ede tuos uerſus, Helicon quos nutrit & Aſcra,
Fac careat triſti morte paterna domus.

AD MARCVM ANTONIVM
Antimachum.

Te duce Smirnæi cum ſint primordia uatis,
Te duce Theſpiadum cum mihi nota domus,
Te duce

Te duce laurigeri cum sint & cognita diui,
Te duce Palladiæ cognita sacra deæ.
Maxima debentur, debebo plura, Faletum
Si facies titulis uiuere posse tuis.

AD EVNDEM.

Fugit hyems, ueris comites rediere fauoni;
Cuncta nitent, passim floribus halat ager.
Cypria formosas ducit per prata Napæas,
Atque immixta suis gaudet amica choris.
Faunus odoratis præcinctus cornua sertis,
Ante ipsas ludens itq; reditq; iocis.
Frondosæ surgunt in læto palmite uites,
Et profert fructus arbor opaca suos.
Exercet ramis cantus Philomela canoros.
Et resonant siluæ cantibus agricolæ.
Cunctaq; sub claro succrescunt lumine Phœbi,
Pelle graues curas, lætus ut annus eat.

AD PETRVM BAVSANVM.

Vrbe mihi Petre hac non indonatus abibis,
En tibi do Aegidæ, Pirytoiq; fidem.

IN GELRHIAM.

Publica cur laceres, uis dicam Gelrhia? missus
Te exagitat stygio sæuus ab amne furor,

IN PICTVRAM PRINCIPIS ATESTINAE.

Talis adeſt facies, habitus quoque, talis & Annæ
Maieſtas, color & talis in ore nitor.

ALIVD.

Spirantes Annæ ſi cernis imagine uultus,
Dices, ſic oculos, ſic caput Anna mouet.

AD IO. BERZOSAM.

Te uocat ad cœnam tuus ò Berzoſa Faletus,
Promittens uentrem paſcere, non oculos.

AD PETRVM NANNIVM BATAVVM.

Perſica das nobis, & mittis carmina Nanni,
Quid potius cupiam? carmina malo dari.

EPI. OLYMPIAE COLVMNAE.

Digna Polo, quam non capiebat marmor, Olympo
Emicat, & ſedes unde receſsit habet.

EPI. ASCANII CALCAGNINI INFANTIS.

Nona dies terris oſtendit, & addidit aſtris.
Felix qui cœlo tam cito dignus eram.

ALIVD.

Aſcanius ſomnum capit hic, diſcede uiator:
Dormit enim genitrix quo uigilare queat.

IN ZOILVM.

Diſticon infelix cur in mea carmina latras?
Quid faceres, recto ſi graderere pede?

LIBRI DECIMI FINIS.

HIERO-

HIERONYMI FALETI POEMATVM LIBER XI.

AD SIGISMVNDVM SARMATARVM REGEM.

MAGNOS fama refert adire Reges
Ditis Persidos haud solere quenquam
Absque munere, quamlibet pusillo;
Nec dignnm minus id sibi putare,
Mentem munere pluris æstimantes:
Hinc, fortissime Rex patentis oræ,
Pugnaces populi, atque bellicosi
Cui parent; Ducis Hercu lis secundi;
Quo Ferraria læta gloriatur,
Orator uacua uenire dextra
Ne forsan uidear, breuem hunc libellum
Tantisper tibi, qualecunque munus,
Dico dum ualeam parare maius,
Indignum neque te, tuoq; sceptro.

AD IVLIVM TERTIVM Pontificem Maximum.

Iuli maxime Pontifex, secundo
Qui par Iulio, omnibusq; Paulis

Antiquum Latio reducis aurum,
Saturniq; facis redire sæcla.
Ecquæ dona tibi tuus Faletus
His regalibus, optimo dierum
Mittet? cui neque thuris est in arca
Nec auri unciola, aut libella myrræ.
At tu munera nostra nil moraris,
Qui ditissimus omnium, caducas
Aspernaris opes, facisq; flocci:
Præstat summe Pater tibi precemur
Felices Piliæ dies senectæ,
Aeternum ut ualeas habere clausa
Iani limina. Pol sapis Britannæ
Qui priscam repetis uiam salutis
Hoc sub Principe; fallor, an relicta
Agnoscit sacra contumax Sueuus?

AD HERCVLEM ESTENSEM, FERRAriensium Principem IIII. & Carnutum I.

Prisci se fieri beatiores,
Cum ferrent decimam Herculi, putabant.
Sic hæc qualiacunque nunc Faletus
Alcida tibi dedicat secunde.
Post hac & meliora pollicetur,
Si præsens Deus illi es affuturus.

AD EVNDEM.

Dum nos Eridanus cornibus aureis
Conuectat placido fluminis alueo,
Magni progeniem uisere Cæsaris;
Quis Clius prohibet ludere uersibus
Alcida, mage quàm ludere tesseris,
Damnosæ aut aliis lusibus altæ?
Ergo dum uacui naue liburnica
Summi dorsa Padi labimur Hercules,
Alternis libeat dicere; amant Deæ
Alterna Aoniæ, & numina numini
Gaudent Aonio, templaq; iungere.

ALOYSIO ESTENSI, HERCVLIS FILIO.

Nymphæ, quæ uitreis Padi sub undis
Expers exigitis laboris æuum;
Vester nauigat Hercules, adeste,
Et molles domino parate cursus:
Vt qui filiolus domi relictus,
Absentem queritur patrem Loysis,
Nec uestra potis amouere ripa
Intentos oculos; breui reuersum
Sospitem uideat, feratq; magno
Mellitum puer osculum parenti.

AD EVNDEM.

Mellitiſsime Principum Loyſi
Quos præſens uidet, aut uidebit ætas,
Poſt hac innumeris futura ſæclis,
Tu noſtros numeros licentiores,
Incultos numeros, & impolitos,
Dignos laudibus uſque iudicaſti,
Atque epiſtolio uſque proſecutus,
Docto me Hercule Riccioq; digno.
Si non decipis, eſt tuus Faletus
Feliciſsimus omnium poeta.

AD LANFRANCVM GYPSIVM.

Felices mihi, candidosq; Iani
Gypſius faciet ſcio calendas;
Et quid ni faciat? poeta bonus
Gypſius fauet omnibus poetis,
Et quid ni faciat? peritus ipſe
Iuris, iure ſuo fouet peritos,
Sed nec Caſtalios mihi liquores
Sancta Pieris inuidet bibenti;
Et me maximus Alciatus olim
Iunxit Sulpitiis, & Vlpianis,
Sperandum eſt igitur, dabit lacernas,
Dabit munera Gypſius Faleto,

Muſa

Musa quid facis ? æra liberalis
Gypsii petis ? Herculis uolebam.

BAPTISTAE SARRACO
summo Procuratori.

Commendo tibi me, ac meos trecentos
Non dico ingenuos Sarrache amores,
Nanque hoc putidulum, & nimis uetustum est,
Sed quòd dulcis herus, decusq; nostrum
Alcides semel annuit petenti
De nota meliore liliatos:
Quod si feceris, ut meum Sarracum
Facturum puto, recte, & expedite
Est in ære tuo, & libra Faletus.

AD ALFONSVM PRINCIPEM.

Iam radiat celso stella serena Polo
Regibus Aeois quæ patefecit iter,
Grandia nunc unus munera quisque parat
Luce noua, dominis munera danda suis,
Non tamen est aurum, myrra ue, thus ue mihi,
Non phrygiæ uestes, non pretiosus onix:
Pauper enim Musæ pauperis antra colo.
At quæ non auro dona minora putes,
Est sincera fides, & bene fidus amor,
Sunt deuota suis pectora principibus.

Hæc Alfonse puer, sacro dicoq; tibi,
Alfonse è Regum nobile stirpe genus,
Hæc cape, & haud ficti conscios obsequii,
Pauca licet dederim, consule pauca boni.

ROGAT LIBELLVM, VT PETRVM
Bausanum adeat, ac suo nomine salutet.

Quo præceps ruis ò libelle? quo te
Demens insatiabilis libido,
Quo desiderium perenne laudis
Oblitum rapiunt tui feruntq;?
Quid lucem cupis insolens uidere,
Contemptis tenebris tui parentis?
Sed si te popularis aura tantum,
Et uoces, strepitusq; plebis acres
Delectant, teneris uolare pennis
Si tantum trepidas, & experiri
Optas felle litos sales amaro,
De nostris aue scriniis recedas
Fausta, sed quid agis? prius rogarim,
Si doctis aliquantulum placere
Optas, & rabidos cauere morsus,
Bausani nitidos petas penates.
Cui tu quàm mihi notior futurus.
Quod dicet facito, nihilq; malis.

Vngues

Vngues, si sit opus, feras seueros.
Si dicat maneas, mane, nec ire
Exoptes temerarius sub auras.
Nullius tibi tam patent penates.
Nulli tanta libelle tam ampla debes.
Iccirco reuerenter illum adibis,
Antiquæ memor & benignitatis.
Impendit mihi iam satis superq;.
Non affecto manus benigniores.
Tento si ualeam referre partem
Collatæ mihi liberalitatis.
Id quod si facio, sat est libelle.
At tu tempore ne uagere longo,
Momorumq; cadas in ora præceps,
Recto Antuerpia tramite est petenda,
Quo cum peruenies, stupere noli
Saxo mœnia quæ struit superbo
Multum diues opum urbs, & hospitalis.
Nec tu diuitias, uel urbis altas
Contemplere domos, uel affluentes
Scaldæ lenis aquas, marisq; fluxus.
Nec cures quid agant, parentq; ciues.
Nec quis nam modus, & status sit urbis,
Bausani tibi cura sit petendi,

Haud mi carior est in urbe tota.
Hic est qui miseras fouet camœnas,
Qui dextra iuuat, excipitq; doctos,
Sensu plenus & eruditione.
Admirabere cum domos subibis,
Almas Pierides Apollinemq;,
Iurabisq; nihil deesse præter
Motum & uerba deis, & obstupescens
Tanquam ad Lotophagos uoles morari,
Non sic te precor, ò libelle, non sic
Oblitus uidearis immemor ue.
Hæc linquas subito, altiora quæras.
Bausanumq; meum lubens saluta.
Doctorumq; simul chorum uirorum,
Illic turpe nihil, nec indecorum
Dicas, aut humile, aut ineruditum,
Priuato nisi uis latere tecto.
Præ te fer studium, fidemq; nostram,
Hoc pro me studiosus allabores.
Dii faxint placeas tuo patrono,
Vni cui mea, meq; dedo totum.
Ipsi te simul exhibere debes,
Acceptumq; referre, quòd decorus
Incedis cute mi libelle summa.

Vis

Vis dicam? fugias molestus esse:
Quod dicet facito, nihilq; malis.

AD EVNDEM.

Discedens superos libens rogabo,
Vt mecum ualeas Pylios in annos,
Nunc quòd Palladios tuos penates
Certe, mi grauiter dolet, relinquam.
Sed peius timor hoc dolere cogit,
Ne me perpetuum tuum clientem
Læthei ire sinas uadi sub undas.
At sit quod placeat: Deos rogabo,
Vt mecum ualeas Pylios in annos.

DE LIBELLO RICCII, de imitatione.

Donauit mihi Riccius libellum,
Ille Riccius, ille cui libenter
Commisit pueros suos regendos
Alcides dominus, Deusq; noster.
Sed qualem mihi Riccius libellum
Donauit deus optime, ut disertum,
Vt cultum, lepidum, grauem, facetum,
Vt plenum uaria eruditione,
Vt totum aureolum, ut suo parente
Dignum, per Venerem Atticum putaui:

Et dixi, ueneres, ſales, lepores
Atticos habet hic breuis libellus.
Et dixi, breuis hic libellus omnes
Attici redolet thymos Hymetti.
Heu formoſe libelle clara patris
Clari progenies, tibi quod optat,
Et quod Riccius optimus meretur.
Donabunt ſuperi, perennis æui
Felicem genium, ſcio, ſed ipſi
Optatum Ducis Herculis fauorem.

AD ALCIATVM.

Magno Perſidos Alciate quondam
Regi munus aquæ obtulit puſillum,
Ambabus manibus ſenex agreſtis.
Non accepta minus tamen uoluntas.
Sic noſtrum tibi qualecunque carmen
Princeps maxime in orbe litterarum,
Acceptum faciat bona hæc uoluntas.

AD IOANNEM BAPTISTAM
à Riccaſſolis Cort. Præſulem.

Præſulis ſanctos liber ad penates
Ire feſtinis pedibus labora,
Et uerecundo refer ore noſtris
Paucula uerbis.

Squallidus quanuis uenias, ad imos
Te pedes sternes, tamen & salute
Reddita primum manibus sacratis
Oscula figes.
Forsitan si te, quid agam, rogabit,
Audeas, nec te decor eloquentis
Territet linguæ, neque te uerendæ
Purpura pallæ.
Sed uelim dicas, quod ago sub ora
Frigida uitam nimium seueram,
Nulla nec nostram sine eo morentur
Ocia mentem.
Et fatigatus licet ipse curis
Exigam absentis domini fauorem,
Quæ reluctanti cecini Minerua
Carmina mitto.
Scripta quæ crasso calamo fuerunt,
Dum mihi à legum studio uacabat,
Et laboranti meditabar amens
Gaudia uitæ.
Dum foras profert mea se uoluntas,
Et tuam lucem studiumq; Præsul
Assequi gestit, numeris in almas
Promicat auras.

Quod canam uerſu teneros amores
Cantus excuſa, rogo, nos ut illa
Labe purgatos maculaq; Præſul
Sentiat eſſe.
Vrimur non ſic, uacuumq; pectus
Turpibus curis, grauibusq; plenum
Pellit, ignarum quid agat, iocoſo
Triſtia ludo.
Vt ſolet, curas hominum cachinnis,
Cum meis pictas numeris uidebit,
Pellet, & multo mage nos morantur
Sobria, dicet.
Cerne quid dicat, quoties loquetur
Præſul, & ſenſus tua ne retardent
Verba conceptos, Dominiq; reddas
Omnia nutu.
Si places illi ſatis eſt: quid optas
Amplius? tantum ſtudeas, ut illinc
Gratus, & compto meritus fauorem
Carmine cedas.

ARBOR LOQVITVR.

Nuper argutis celebrata chartis
Omnium lætos oculos morabar;
Nil reformidans ueniente bruma
Frondibus arbor.

Plectra

Plectra quid tantum ſiluere ueſtra
Optimi uates? reſonet canorum
Carmen, & Muſæ redeant priores
Auſpice Phœbo.
Non ſemel Ditem fidibus canendo
Thracius mouit, ueteresq; Thebas
Struxit Amphion, Phrygiæq; Pæan
Mœnia Troiæ.
Nec ſemel rhetor Fabius legendo
Munus è fiſco meruit Quirini;
Ambiat uobis populi fauorem
Cognita uirtus.

AD STEPHANVM SPINVLAM.

O ingens Ligurum decus,
Et ſplendor Genuæ Spinula diuitis.
O laus Auſoniæ ducum,
O patrone tuis grate clientibus.
Si quos dextra beat tuæ,
Debemus tibi, ſi ſollicitudine
Si curis uacui ſumus,
Si quid Muſa modis nobile perſonat,
Quod te detineat ſuis.
Hæc accepimus à te Stephane omnia.
Nobis te ſine nil datum,

Non

Non audemus opus grande nec arduum,
Si desit studium tuum.
Si quod tu dederas, reddimus id tibi,
Hoc iusto facimus modo.
Non quot uoluit arenas Tagus aureas
A me, aut sardonicas petas.
Has larga tibi dat Cæsar opes manu.
Cuius summa benignitas
Virtuti fauet, & consiliis tuis.
Adiungitq; tibi decus.
Is tradit Siculi diuitias agri,
Et te præsidio iuuat.
Is te digna potest reddere præmia,
Nos dotes damus ingeni
Versus, exiguo pectore qui fluunt.
Et si quid placeo tibi,
Pallante, & Licinis uiuo beatior.
Nec quicquam amplius expeto.
Te quondam tenuerunt fera prælia
Oblitum penitus tui,
Tunc cum Cæsareis iunctus ab hostibus
Vrbem milite liberas.
Nec te tunc uiguit fortior omnium
Alter, seu melior ducum.

Suspensi

Suspensi clipei sunt tibi Martii
Iamdudum laribus tuis.
Qui tunc consilio & robore bellico
Ex æquo fueras potens.
Nunc defuncta suis corpora uiribus
Maius consilium regit,
Iam bellum ualuit, nunc toga te tegit
Tractantem populi statum.
Ergo cum uacat, & ciuicus hic labor
Dat fesso requiem tibi,
A curis uacuo pectore, carmina
Si ridere uoles, legas,
Nostri sisq; memor, sicut ego tui.

LIBRI VNDECIMI FINIS.

POEMATVM LIBER XII.

EPITALAMION HIERONYMI FALETI, & Paulæ Calcagninæ per Lilium Gregorium Gyraldum.

NVNC Hymenæe decet maternos edere cantus,
Virginis Herculeæ ad thalamos uatisq; Faleti,
Quos uinxere Dei qui uincla iugalia seruant,
Auspiciis paribus, concordi & fœdere amoris.
Ergo age dum fratres ludunt plaudentibus alis,
Idaliosq; legunt flores, nectuntq; coronas,
Concine inauditum carmen, non ordine sueto,
Non utriusque genus referas stirpemq; parentum,
Quorum armis, studiisq; uiget late inclyta uirtus.
Tunc sic Vraniæ natus, pulcherrima proles,
Et comes Vraniæ Veneris sanctiq; pudoris,
Dixit, frater ades, cui connubialia curæ
Carmina sunt, mecum latium nunc concine carmẽ.

HYMEN, ET THALASSVS.

Vesper adest pueri properate, en aurea cœlo
Sidera conniuent, celeres perferte patrimi
Matrimiq; faces, & spinea lumina tedas,

Sacraq;

Sacraq; præportent calathis arcana Camilli,
Myſtica quæ monſtrent fieri connubia ſancta,
Ducite concordes felicia ſtamina parcæ.
Non terram quatiat Neptunus, & aera nullus
Perturbet ſonitus, fauſto ſit prima diei
Hora polo, è gelido ſumatur limpida fonte
Lympha, ſacro nec diuum deſit in igne poteſtas.
Ducite concordes felicia ſtamina parcæ.
Nec colus hinc abſit, nec fuſus, flammea uelent
Nunc noua nupta tuum cultum diademate crinem,
Punica nec deſint, nec mala cydonia uobis.
Ducite concordes felicia ſtamina parcæ.
Hoſtia, ueſtibulumq; domus tria numina ſeruent,
Terrores procul ut Siluani pellere poſsint.
Nec uos lingua nocens, oculus neu faſcinet ullus,
Summam dextra fricet, uel cingat bacchare frontẽ.
Ducite concordes felicia ſtamina parcæ.
Iam ſtrepat ante fores, nucibus geniale cubile
Pronuba conſternat thalamum. dea Cinxia nodo
Vos liget Herculeo, & cœlo bene garriat ales.
Ducite concordes felicia ſtamina parcæ.
Vnxia uos ungat dea, Zigia iungat amantes,
Colla iugo premat & dea quæ Iuga nomine dicta
Ducite concordes felicia ſtamina parcæ. (eſt.

Soluatur ſtrophium, ſoluatur zona puellæ,
Iungite labra labris, coniungiteq; oribus ora,
Linguaq; cum lingua pugnet, certetq; uiciſsim.
Ducite concordes felicia ſtamina parcæ.
Vt plantas hederæ, ſic ſtringite colla lacertis,
Oſcula non uincant, non murmura ueſtra columbæ,
Alter & alterius geminatis ictibus inguen
Apprimat, hic tandem feſsi languore cubetis,
Donec uos pulchra facti iam prole parentes,
Quæ doceat balbo ore loqui, & lallare ta, ma, pa.
Ducite concordes felicia ſtamina parcæ.

POETA.

Plura quidem dicturus hymen fraterq; Thalaſſus,
Cum Phœbus cithara, & docto Cyllenius ore,
Et uario muſas modulantes carmina cantu
Præcinuere tibi, & ſponſæ uentura Falete.
Penſaq; ducentes, quibus aſſenſere ſorores,
Et Dei quinque, penes quos ſunt ſponſalia curæ.

BERNARDVS LINGIVS
Hieronymo Faleto.

Nunc ſatis apparet, te ſub Parnaſside rupe,
Carpentem ſomnos iſthunc hauſiſſe furorem
Diuinum in uenas, atque in tua pectora numen.

Nec

Nec non Phœbæos tripodas adiisse uideris,
Hæc ubi docta tibi suggesſit carmina Pæan.
Quin maiora loquar. cunctæ sua dona camœnæ
In te unum fudere, beniguo, ac diuite cornu.
Te doctus genuit Phœbus, Venus aurea mater.
Hinc tibi uenerunt diuinæ semina mentis.
Hin Deus iste tuus, stimulante calescis eodem.
Post ubi paulatim matura adoleuerat ætas,
Blando Calliopea sinu suscepit ephœbum.
Atque ait, ò generose puer decus addite Musis.
Haud aliud uidi in toto præstantius orbe
Ingenium, plures dotes quod compleat isto.
Felices talem qui te genuere parentes,
Felix si qua tibi soror est, fratresq; beati.
Te manet illustris, nec non & fama perennis.
Nam tu res gestas regumq;, ducumq; sonabis,
Præcipue magni ac inuicti Cæsaris acta,
Horrendas pugnas dices, & maxima bella,
Bella per hos annos quæ à Cæsare gesta fuerunt
Contra Gallorum Regem, Turcasq; nephandos,
Quos Cæsar, quanuis horrendos, strenuus arcet.
Tum dulcis patriæ, ac Oenotria bella tonabis,
Vt nullo tenebris unquam damnentur ab æuo,
Sed potius uiuant semper populisq; legantur.

Quin

Quin per te leges, per te quoque iura uigebunt,
Queis operam noctesq; , diesq; dedisse iuuabit.
Hæc atque his maiora meo tu munere posſis,
Si modo conatus ſummos contexeris, ut iam
Cœpiſti, poſthac ſacras coluiſſe ſorores:
Etſi non animus ſtudiorum ſiſtere curſum.
Quare ne pigeat primos tolerare labores,
Præmia quos nobis credas haud parua manebunt,
Quiq; tibi, generiq; tuo per ſæcula nomen
Perpetuumq; decus parient, laudesq; perennes.
Ne te commoueant quod nunc plerique uagantur
Aſsidue iuuenantur, amant, uenéremq; ſequuntur
Turpem, poſthabitis ſtudiis, & rebus honeſtis.
O quantum plerique omnes præſtare ualerent
Vſque adeo, ni uni Comoq; Methæq; uacarent.
Sed mitto ignauos, telluris inutile pondus,
Qui numerus ſunt, & fruges conſumere nati.
Iſtos deſidiæ meritas perſoluere pœnas,
Ipſe tuis oculis, mihi crede, iacere uidebis.
Nam ipſe ſibi pœna eſt quicunque ſine ordine uiuit.
Sed Phryges, ut dicunt, reſipiſcunt ſerius uſque.
Sic Dea Calliope paucis afflatur ephœbum.
Quo facto Muſis reliquisq; ſororibus ipſis
Imperat, ut iuuenem properent deducere ſacros

Cunctos

Cunctos ad fontes, amnesq́;, locosq́; beatos,
Quos habitare ferunt Nymphas pia numina uatū.
Nec mora iussa obeunt castæ, doctæq́; sorores,
Atque pias iuuenem deducunt ilicet ædes.
Primum Parnassum Phœbo, Bromioq́; sacratum
Accedunt, adytum Phœbi tripodasq́; relaxant.
Inde poeticus iste furor, qui carmina dictat,
Inde diuinum concepum pectore numen.
Delphica fatidici linquunt penetralia Phœbi,
Linquunt Pyrenen sacram, Dircenq́; uerendam.
Inde Helicona petunt, inde & Libethridas undas,
Aoniumq́; nemus, Cirrham, Nysamq́; subintrant,
Hinc ad Permessum ac Thespim uestigia figunt,
Moxq́; Caballino iuuenis se proluit amne,
Vsque adeo ut memorēt, totū immaduisse liquore.
Inde Falete tibi, ut perhibent, ditissima uena,
Hinc tibi tam grandes faciendo in carmine uires.
O fortunatus nimium, tua si bona noris:
Quæ superi seruare uelint ad Nestoris annos,
Scilicet ut prosint studiis multumq́; diuq́;.

NICOLAVS NICOLAI GRVDIVS
Hieronymo Faleto.

Siccine tu nobis mittens Hieronyme uersus
Mittere ab inculto flores te scribis agello?

Mollibus

Mollibus aut illos prunis rudibus ue corollis
Componis ? ſic repere humi ? ſic celſa ſubire,
Nanc primum te te meditari in culmina rupis
Aoniæ ? ſic me ſacrato in uertice ſiſtis ?
Crede mihi, uerum fateor, ſunt nomina nobis
Mutanda, atque tui uertendus carminis ordo.
Ipſe etenim ſacros latices, fontemq; beatum,
Vnde trahunt uatum præcordia ſancta furorem,
Haudunquam guſtaui, audaci nec mihi planta
Eſt tentatus apex Heliconius. At mihi tantum
Sacrati montis procul in radicibus imis,
Quà zephiri tenues inter uirgulta ſuſurrant.
Ludenti ſatis eſt uoces audire canentum
Nympharum, Phœbiq; choros, Phœbiq; ſororum,
Atque peranfractus dubios & lubrica ſaxa
Suſpicere in ſummum felici euadere paſſu
Magnanimos iuuenes, quos Phœbi uiuidus ardor
Excitat, audaciq; pares facit ille labori.
Teq; adeo Falete tuo de nomine uates
Auſonios. Vidam, Fracaſtoriumq; ſequutum,
Sic te Phœbus amet, ſic tempora Daphnide cingat.

ALVARI MENDOZAE AD CAESAREM.

Omnibus in terris ſi quæras maxime Cæſar,
Qui tua uenturum diffundat facta per orbem,

Impe-

Imperiumq; tuum, mores, amplosq; triumphos,
Et genus, & famam, uirtutes uersibus ornet.
Nullus adest, docto qui posit carmine uates
Faleto æquari altisono sacroq; poetæ.
Huic cedunt uates, pulchræ cessere sorores,
Quæ sua circundant frondenti tempora lauro,
Atque illi faciles referunt ad sidera cantus
Assensu superum magno, concedat & æqua
Pallas, & auratam citharam concedat Apollo
Vocalem citharam, resonabile carmine plectrum.
Iste tuus uates Cæsar canet horrida bella,
Hic canet imperium, fueras cum lectus ab omni
Parte, orbisq; sibi petiit te maxime Cæsar.
Et tua regna feret, Belgas, Italosq; feroces,
Germanosq; Duces, laudataq; pectora Iberum.
Pannonicas dicet pugnas, Turcasq; fugatos,
Tunicei referet numeroso carmine bellum.
Ille canet quantis te gens Romana triumphis
Excipit, Ausoniæ dominum pars maxima terræ.
Regnaq; Francorum bello concussa cruento.
Quando intra patriam Gallos ad bella uocasti,
Qui pauidi potius se se intra mœnia condunt.
Maxima quæque canet, quãuis sine fine redundent,
Denique describet iusta te sede locatum,

HH Cuiq;

Nulli religio eſt, nulli facundia maior.
Omnis honor uatum Muſis, & Apolline cretus,
Quem ſi uidiſſet, non inuidiſſet Achilli,
Regnatorem Aſiæ uincens Ammonius heros.

POLIANVS CALABER,
Hieronymo Faleto.

Sis licet exigua mihi conſuetudine notus,
Qui precor ut firmo fœdere crèſcat amor,
Ite tamen dixi, quid enim uetat ire? ſalutem
Ite leues elegi dicite uoce mea.
Aſpicis hinc monitos quos nec pudor impedit ullus
More ſalutantum limen adire tuum.
Fallor, an excipies porrecta carmina dextra?
Quàm merito uerſus hos ego dicis amo.
Lætus ama noſtram teſtantia carmina mentem,
Me miſerum, inuita ſcribimus illa manu.
Non quia non poteris nobis cariſsimus eſſe,
Scribendum ue nihil quod rear eſſe tibi:
Sed quoniam mallem præſens ea uoce profari,
Quæ nunc abſenti litera noſtra refert.
O utinam læto ferat hunc Pallantias ortu,
Cenſeo quem certe non procul eſſe diem,
Hinc ego Nemetum ueteri digreſſus ab urbe,
Quo ueſtris iterum mœnibus hoſpes ero.

Collo-

Colloquiisq́; fruar uestris, & uocibus illis,
Quas mella, aut si quid dulcius ipse uoco.
At modo qui Rheni, quia res ita cogit, ad undas
Inuisæ ferimus tædia longa moræ,
Mox ubi flant molles zephyri, uerisq́; uocantur
Tempora, cumq́; tuus sudat hirundo labor,
Tunc ego, quæ nunc sunt morbo mihi pene solutæ,
Non uires alio debilitante meas,
Quadrupedis frenans iniectis ora lupatis
Sum digressurus flumine Rhene tuo.
Rhene uale, dicam, spumantis & accola Rheni,
Vestraq́; præpropera mente lycæa petam.
Non ut sectemur leges, legumq́; magistros,
Inq́; tuis castris Barthole miles agam.
Non ut contendens metuendo iudice coram
Vlla perorata præmia lite feram.
Dextera me lenes natura creauit ad artes,
Ingenio nunquam litis amante fui.
Dent mihi sedatæ libethrides otia uitæ.
Iurgia nulla fori litigiosa sequar.
At potius sacris musarum operabimur hortis
Peligni ingressi nobile uatis iter:
Et uacuis animis meditabimur utile carmen,
Quod queat à sera posteritate legi.

Da ueniam uerbo, modo carmina noſtra futuram
Digna uetuſtatem poſteritate ferant.
Sit nobis facilis, merito quam ſemper amaui,
Pieris, & regum deſpiciemus opes.
Hinc mihi neſcio quæ uenturæ nomina famæ
Concipio, certum polliceorq; decus.
Denique ſermonem tecum conferre iuuabit,
Colloquium poteris ſi modo ferre meum.
Aut ego facta foris, ſequimur dum caſtra recenſens,
Narrabo, ſed tu quæ tibi lecta domi.
Tu mihi Aminciadæ recitabis facta, librisq;
Eruta, at ipſe mei Principis acta tibi.
Aut onerabo meis placidas tibi uerſibus aures,
Dum mihi commemoras, excipi amice tuos.
Quã dulcis conuictus erit, quàm utrunque iuuabit.
Hæc ſunt quæ cupiam, quæ cupienda probis.
Deſino, iam paucis claudantur ut omnia uerbis.
Meq; diu poſsis ſoſpes amare, uale.

AD HIERONYMVM FALETVM
Ioannes Ainſa Hiſpanus.

Ad te propoſui cum ſcribere, neſcio, quonam
Effugiant uerſus ingeniumq; meum.
Vnde noua irrepſit noſtris ignauia neruis,
Vix ſcio, at ereptum ſentio me eſſe mihi.

An

An tibi materies ſterilis? cum Delius ipſe
Ad tua ſit uates concelebranda minor.
An dedignatur uates ſuccurrere uati,
Quem iuuat Aoniam ſæpe mouere lyram?
Nil horum in cauſa eſt, dices Falete. quid ergo?
Ah pudet, at uatem uera referre decet,
Iam mihi ſumptus erat calamus, iã ſumpta papyrus,
Iam Deus in nobis, & leue murmur erat;
Cum tua reſpiciens, ne non uidiſſe uiderer,
A tanto fuerant quæ mihi miſſa uiro,
Obſtupui, ueluti ſubito cum ruſticus aulam
Principis ingreſſus, neſcius ipſe ſui eſt.
Vtq; manere ſolent orbati lumine Solis,
Qui radios acie ſuſtinuere diu:
Sic ego uel rerum præ maieſtate tuarum
Territus, & multo lumine cæcus eram.
Tantus in his ſplendor, tantus quocunque reuertor
Cumq; colore decor, cumq; decore color.
Quare age te præſtá, qua poſsim parte tueri,
Aut oculos aquilæ iunge Falete mihi.
Attamen incepi tenues deducere uerſus,
Accendunt animos nam tua facta meos.
Rurſus at hic nocuit tantarum copia rerum,
Meq; inopem ſubito copia magna facit,

Cumq;

Cumq; uolo factum de tot tibi millibus unum
Scribere, ab innumeris hinc feror, inde trahor,
Vt solet à uentis diuerse flantibus acta
Cum uariat tactum flamma subinde locum.
Scilicet, ingenue fateor, tua ponere facta
Vt decet, ingenii est uberioris opus.
Ergo tacere meos præstat, doctissime uatum,
Quàm de tam multis dicere pauca modos.
Adde quod, ut possem laudes æquare canendo,
Vix ad sumendos suppetit hora cibos.
Hoc quoque quale uides properatum carmen, ami-
Ne me morosum difficilem ue putes. (cis
Cernis ut indicium ueluti currentis in illo est,
Ductaq; sunt facili qualiacunque manu.
Quid si quis famæ credens, maiora putabat
Condere me in siccum iudicet, inde leuem
Iudicet. in sicco nanque exit sæpe lapillus,
Cum lapis in mediis conspiceretur aquis.
O quoties homines, quoties nos fallit imago
Rerum, nunc longe quæ modo uisa prope,
Quis non contendat, Rogium si auscultet, Aisam,
Peligni similes uatis habere modos?
Sed nimis hoc: prope Theseo nam fœdere nobis
Iunctus, amicitiæ forsitan ille fauet.

Quis

Quis uidet in pleno radiantia ſidera cœlo,
Atque unum toto hoc grandius orbe putet?
Ergo age depoſito rerum uelamine, quidnam
Res habet, ex aliis inſpice quidue ſuum.
Sed puto uidiſti, ſuſpenſo ac carmine ſæpe
Dixiſti, hic ne ille eſt, ille poeta grauis?
Ille ego ſum, tenui cui ſemper contigit ore
Dicere, at extolli ſemper amice tuus.

AD FALETVM, IOANNES
Berzoſa Cæſarauguſtanus.

Pauca licet dederim, ſed magno ficta labore,
Tu contra dederis carmina multa mihi;
Non magis idcirco eſt obnoxia noſtra Falete
Indiga muſa tuæ, quàm tua larga meæ.
Nanque tibi facile eſt teretes effundere uerſus,
Ardua res nobis, difficilisq; nimis.
Scilicet Aonidum tibi contigit eſſe miniſtro,
Nectareasq; ſacri ſumere fontis aquas.
Ipſe loci ignarus, quo fixit Pegaſus ungues,
Emendicatos iungo Falete pedes.
Plura tibi reſtant, ubi carmina plura dediſti
Multa potens, ſi das multa, quid inde petis?
An petis æquali reddatur gratia merto?
Vt iubet Aſcræi muſa diſerta ſenis.

Ah nescis quanto uersus compono labore,
Vt uix de uena pauperiore fluant.
Quid? quod eos ad te paruis ego mitto tabellis,
Vt, si quando uacet, terq;, quaterq; legas.
Tu tantum recitas, nec uult tua Musa uideri,
Et mauis uersus ut leuis aura ferat.
Eia age Tantalicis iam nos precor erue pœnis,
Extinguatq; sinas ut mea musa sitim.

IDEM.

Quid precor innumeris oneras me uersibus? ohe
Quid tibi uis? non hoc nostra Thalia petit.
Non petit alterno tecum contendere uersu,
Non adeo uana rusticitate tumet.
Marsya dum Phœbo studuit par esse uideri,
Direpto pœnas tergore morte dedit.
Sed quid ego mitto, mittis tu carmina, summo
Id cum Berzosa iure Falete facis.
Id facis ut nunquam mihi sis obnoxius ulla
Parte, sed ut totus debeat usque tibi.
An metuis forsan superem te uersibus? ò quàm
Corda superuacuus possidet ista metus.
Sufficit ò clari lampas clarissima mundi,
Sufficit ingenio sic placuisse tuo.

Magna

Magna decent alios uates: tua munera noſtra
Attrectare nephas carmina ſancta manu.
Nam quæ ſunt decori, uati data carmina docto
Ingens indigno dedecus illa ferunt.
Sed nunc qui potero nutanti ferre Thaliæ
Auxilium? nimio pondere preſſa cadit.
Succumbat, neque enim fas eſt pugnare Tonanti
Vndenoq; tuo ſit minor illa pede.

IDEM.

Quẽ charites, quẽ Phœbus amat, doctæq; ſorores,
Deq; Iouis cerebro nata Minerua colit,
Cui ſe Calliope totam debere fatetur,
Et ſine quo nunquam ducit Apollo choros,
Et cui totius Parnaſsi credita cura eſt,
Quiq; rigat uatum uerſibus ora ſuis,
Qui dulcem mentis fructum donumq; Thaliæ
Carmina dans, lætos nos hilaresq; facit,
Ille cur elogio non eſt dignisſimus omni,
Dignus ab Andino Mæonideq; cani?
Adde quod humana probitate Faletus abundat,
Carmina dignatus mittere carminibus.
Inq; his Berzoſam, quo nil dabis amplius unquam,
Eſſe ſua dignum cenſet amicitia.

Nempe Cytheriadum myſtes amat ille poetas,
Quanuis diſsimili fœdere ſacra colant.
Viue Falete diu, ſupplex ego numen adoro,
Tempora amicitiæ, ne det auara meæ,
Neue tuum quatiat nomen, ſed tempore longo
Det tibi nobiſcum carmine poſſe loqui.

IDEM.

Sicut ubi plenum liquido cratera Falerno
A ſocero accipiens aurea dona gener,
Lætatur ſtabili concordis fœdere lecti
In ſua tecta ferens illius è laribus:
Sic me ſyncero donatum pectore carmen
Vnde tuus liquido conſpiceretur amor.
Dulcius ò hybles carmen mihi melle, repleuit
Lætitia, & lachrimas pene Falete dedi.
Muſaq; uiſceribus nimium ingenioſa mouendis
Dimouit proprio pectora noſtra loco.
Sæpeq; deficiunt ſirenum ut cantibus illa
Carminis illecebra ſemiſepulta tui.
Optaui quoties, miſsis utrinque daretur
Carminibus tecum poſſe Falete loqui.
En loquor ingreſſus certamen diſpare uena
Aurea das nobis, ærea reddo tibi.

Quàm felix illud momentum temporis, in quo
   Pectora pectoribus sic coiere, fuit.
Sæpe quod haud ullo contingere posse putaras
   Tempore, diuina contigit illud ope.
Grande tuum est carmen, nec paruis uiribus, ingẽs:
   Est uena, est torrens ingeniiq; tui.
Gloria nec pedibus nostris accedere maior
   Illa, quàm merito dat tibi fama, potest,
Fama dat, ut debet, diuini nomina uatis,
   Si possem numeris accumulata darem.
Sed si parta meæ felicia stamina uitæ
   Adneat, & Lachesis longius illa trahat,
Vberius multo scribam, & maiore camœna.
   Fama tibi interea tanta sat esse potest.

IDEM.

Carmina mitto iterũ, quid enim nisi carmina mittã?
   Non habeo, satis est, si tamen illa probas.
Et nisi Musa tui nimium studiosa Falete
   Quas merita est, pœnas garrulitate luat,
Digna tamẽ uenia est quod ego sum tardus & impar
   Officiis, partes suscipit illa meas,
Teq; ideo toties iterumq;, iterumq; reuisens
   Hoc facit, ac nunquam sat facit illa mihi.

Fallitur ah, si me meritorum mole tuorum
Hoc tantum faciens exonerare putat.
Namque hic humano probitas admixta lepori,
Et sancta mores integritate tui,
Atque tuum nomen, quod mundus uoce perenni
Liberat inuidia, conspicuumq; facit.
Assidua hinc nostros subeundi cura penates,
Atque tuæ immensum fœdus amicitiæ.
Et quod ais semper, tuus est Berzosa Faletus,
Gaudes cum subdo, non minus ipse tuus.
Hæc immensa adeo cum sint, & maxima, non uis
Pessundent ausus propositumq; meum?
Ergo quid? ingrati nomen Berzosa subibit?
Missa mane, tulit hic nam mihi Phœbus opem.
Sum tuus, & poterit dissoluere debita tempus,
Sum tuus, hoc nostri symbolon est animi.

IDEM.

Scribis, ego sileo: promitto carmina, nunquam
Mitto, me segnem forte Falete putas.
Quis, precor, ignauus quamuis sit miles, inersq;
Audacter nollet te duce signa sequi?
Non hac, nos ergo, non hac ratione silemus.
Non est segnities: sollicitudo mea est.

Dum

Dum mala contemplor, quæ cingunt pectora, musis
Legitimum nequeo tempus amice dare.
Nec uacat, ut uellem, quod sentio dicere uersu,
Infortunato tam uacat esse mihi.
Sum miser, affixusq; graui intabesco dolori,
Vt grauius doleam fert alimenta dolor.
Viuo, sed in tenebris, & lux mihi nulla refulget,
Nec mea dum constat uita ne mors ne fiet.
Quæq; dies studiis tulit hæc incommoda, finem
Sola est ærumnis morte datura meis.
Accedatq; prius, quàm sit Berzosa Faleti
Immemor, & lachrimas finiat illa precor.
Illa feret secum, siquid peccasse uidebor,
Illa graues culpas est subitura meas.
Nam puto cum gemitu, quisquis nos norit amicos,
Defuncto reddet talia uerba mihi.
Hic Berzosa iacet, qui par facturus amico,
Crudelis nisi mors impediisset, erat.
Id dicent omnes, & quæ tua maxima uirtus,
Vna satis populi uox erit una tibi.
Sic deuincta tuis reddis mea pectora uerbis.
Vt collata queat gratia nulla magis.
Carmina dum mittis, dum comiter usque salutas,
Dumq; etiám, misero quid mihi desit, habes.

Nil

Nil conferre quidem poteras, his amplius unquam
Cur uis officiis nos onerare tuis ?
Ah nescis quod cum des mihi nihil ipse rependam,
Hinc bona pars nobis anxietatis adest.
Nanque superueniens curæ noua cura priori,
Fluctibus ut fluctus, turbida corda facit.
Non quia non magni, quidquid facis ipse Falete,
Et faciam, & ducam numinis instar ego,
Sed quod dum semper facis, hoc succumbere cogis,
Dumq; leuare cupis, me magis usque premis:
Ne premeres, aliqua si possum parte referre,
Quod debere tibi mens sibi nota uidet.
Sed si dum nequeo, pateris, nec poscis ut impar
Id possim., & faciam quod potes, atque facis.
Pendeo deq; tuo nutu, simul atque renutu,
Et uolo uelle tuum, noloq; nolle tuum.
Vtq; aliquãdo loquar, nec semper symbolus adsim,
Inuitus dedit hoc carmen Apollo mihi.
Atque adeo inuita cernis decurrere uena,
Ingrati tamen est turpe subire notam.
Ergo quod fidus, quod sum tibi debitor, ista
Testetur nostra littera scripta manu.

ANDREAS

ANDREAS SAVER A MEMMESDORF Hieronymo Faleto.

Pignus amicitiæ legi tua carmina nostræ
  Faleti Ausoniæ fama, decusq; lyræ.
Quæ duplici nostram meruerunt nomine laudem
  Maiorem, nostro quàm queat ore cani.
Primum nanque tuum uates diuine poema
  Iudicio scito tale fuisse meo.
Quale sub Aonia decumbens molliter umbra
  Luderet aurata Delius ipse chely.
Tanta meas tenuit tum uis dulcedinis aures,
  Tam mihi suaue dedit cum tua musa melos.
Tunc ego Parnassi te uertice montis in alto
  Vidi Phœbeos edidicisse modos.
Et tua Pegaseo tinxisse labella liquore,
  Ambrosiaq; tuam te pepulisse famem.
Nunc tibi nil deest, nil uates cultissime, præter
  Quæ crines ornent laurea serta tuas.
Hæc tibi Pieriæ concinnat cura cateruæ
  Et mox ne dubites illa parata dabit.
Prima tuum fuit hæc laudandi causa poema,
  Altera nunc sequitur causa canenda mihi.
Nam quod pro gemmis, pro fuluæ munere massæ,
  Et pro spumifero pectore fortis equi:

Proq;

Proq; aliis donis, quorum possessio nulla,
Quod tibi sit fundo deficiente doces.
Integrum summiq; refers mihi pectus amici,
Cui fœdus firmæ iungis amicitiæ.
Hæc ego tam grata capio tua munera mente,
Quàm procul aurifero dona petita Tago.
Diuitiis cunctis ea Cræsi præfero gazis,
Proq; isto grates pectore dico tibi.
Si mihi præstabis fidi Pollucis amorem,
Ne dubita, nostrum cor tibi Castor erit,
Viue precor læte uiuacis sæcula cerui,
Illustret nomen turba nouena tuum.

AD HIERONYMVM FALETVM Cornelius Susius.

Bis tua iam nobis Hieronyme docte dedisti
Carmina, quæ decies sunt repetita mihi.
Carmina Peligno quæ sunt placitura poetæ,
Iudicet ipse Maro de meliore nota.
Nos altum reticere doles, sed credere noli
Contemptu id fieri docte poeta tui.
Dicere rusticitas prohibet, non rite putasti
Non facere ad faciles iura seuera iocos.
Cæterum amicitiam, mihi qua nil tale merenti,
Iungier ex animo candidiore cupis.

Hanc

Hanc equidem Falete tibi, doctisq; paratus
Præstiterim, & nulli cessero in officiis.

IOANNES BAPTISTA CINTIVS
Giraldus, Hieronymo Faleto.

Nulla tuum nobis monstrarunt carmina nomen,
Carmina, quæ nuper scripsit amica manus,
Ast animus, quo te præsentem cernere fas est,
Subscripsit numeris nomina certa tuis.
Vtq; mihi semper fuit ingens cura Faleti,
Sic lætor curam nunc te habuisse mei,
Atque optasse notis me scribere magna solutis,
Hisq; Priulorum concelebrare decus,
Amphitryoniadem grauiori aut dicere uersu,
Vel molli Cyprin concinuisse lyra,
Regia uel Tragico pulsare ad pulpita planctu,
Quo bene uiuendi semita certa datur.
Hæc potui cecinisse olim: nunc serior ætas
Ingenii nobis quod fuit ante tulit,
Nunc riuus, quondam fluxit qui diuite uena,
Aret, & in luctum nostra Thalia gemit,
Atque dolet steriles agros, & semina sparsa,
Non profecturo semina sparsa solo.
Hinc penitus sileo, studium nec inutile tento.
Sicq; bonos doleo præteriisse dies.

At tu, cui Phœbus numeros, & carmina dictat,
Flectere queis potis es numina magna Deum,
Ne citharæ cesses percurrere pollice cordas,
Et fidibus lætos concinuisse modos.
Quò tibi sic parias æui uenientis honores,
Et numeris tollas nomen ad astra tuum.
Interea posco, liceat si poscere quicquam,
Re præstes, pepigit, quod mihi pacta fides.
Nec furi faueas, nostram qui surripit artem,
Prodidit indicio ac turpia furta suo.
Coniugis egregiæ tarde sic forma senescat:
Sic uideas natæ pignora grata tuæ.

DIDACI PYRRHI LVSITANI, AD GASPA-
ra Sardum, & Hieronymum Faletum amicos.

Gaspar, & antiqua Ligurum de gente Faletus
Nomina sunt Pyrrho semper amanda suo.
Alter Acidalios sequitur, quibus ardet, amores,
Alter Atestinos ordine ducit auos.
Et cum mollis amor duris longum absit ab armis,
Ingenii fama fertur uterque pari.
Nimirum numeros illi, uocemq; ministrat
Regia, & in nodum torta puella comam.
Olli plectra mouet, præstatq; in carmina uires,
Quo fremit umbriferi principe ripa Padi.

Dii precor, Alcide quibus eſt domus inclyta cordi,
Sanctaq; cum magno cura Renata uiro,
Gaſpara, & inſignem uatem ſeruate Faletum.
Dimidium uitæ eſt ille, uel ille meæ.

BAPTISTA SARRACCVS.
Hieronymo Faleto.

Tu Falete ornas, facis & me carmine lætum,
Eximis & letho nomen & ipſe meum.
Omne æuum uiuas felix, te uiuere iuſtum eſt,
Qui fallis læthum, cunctaq; læta facis.

IDEM.

Dat tibi Faletus quod uiuas tempus in omne
Ferrine, hac poteras conditione mori.
Nam dum te celebrat, Marcũ huc remeaſſe Maro-
Oſtendit miro carmine, & eloquio. (nemq;

IDEM.

Protinus ut legi tua carmina docte Falete,
Obſtupui, & dixi, ò grande Maronis opus.
Sed poſtquam ex titulo ſenſi me errore teneri,
Clamaui, hoc cuperes compoſuiſſe Maro.

FEDERICVS SCOTVS
Hieronymo Faleto.

Dum Sentinatis Baldiq; uolumina uerſo,
Quotq; uirum haud capiat nomina nuda liber,

Nasonis lachrimosa meas uox fertur ad aures,
Exulo quòd rursum culpa Falete tua est.
Indolui, legesq; putans odisse poetam
Vt quondam, inde hominem protinus eripui.
Quæq; colo tecum communia tecta remisi.
O fortunatos qui meruere frui.

GVLIELMVS BOSCVS, FALETO.

Accepi carmenq; tuum, missamq; salutem,
Hanc legere, hancq; sinu condere sæpe iuuat.
Quàm bene Musarũ ò Hieronyme semper alumnũ
Te dixi, nec spes irrita nostra fuit.
En dictant spirantq; tibi dicenda camœnæ,
Certatimq; fauent, inq; Helicona trahunt.
Hoc ceptam pede curre uiam, patriæq; tuumq;
Nomen Cumæos profer ad usque dies.

ALVARVS MENDOZA FALETO.

Martia quod miles concurris fortis ad arma,
Fortem animum laudo docte Falete tuum.
Quod non plebeio dicaris sanguine cretus,
Natales laudo docte Falete tuos.
Quod teneas leges, simul & ciuilia iura,
Et studium laudo docte Falete tuum.
Carmina quod scribis pulchris lepidisſima musis,
Ingenium laudo docte Falete tuum.

IDEM.

IDEM.

Fallere Faletum qua poſsis arte poetam,
Ingenium, ſtudiumq; arsq; laborq; dabit.
Vincere Faletum qua poſsis arte poetam,
Ingenium, ſtudiumq;, arsq;, laborq; negat.

AD HIERONYMVM FALETVM,
Ioannes Berzoſa.

Præſidium, & Latiæ decus immortale Thaliæ,
Et merito à Clario culte Falete deo.
Non tam noſtra poteſt, nec tam temeraria Muſa eſt,
Vt conferre pedem audeat illa tuis.
Sed quia te colimus, nec dum nos noueris ullis
Vſibus, & neſcis forſitan ipſe coli.
Hos licet inuitis muſis, & Apolline uerſus
Mittimus, obſequii maxima ſigna mei.

MARCI ANTONII ANTIMACHI
Ad Faletum.

Falete Aonidum decus immortale ſororum,
Belgica qui altiloquo pectine geſta canis,
Aeternum uiues, æternum nomen habebis,
Quod nec poſt cineres deleat ulla dies.
Diuini id uatis carmen, uirtusq; meretur,
Virtus perpetua digna uirere roſa.
Hinc per me nullos quæras tibi laudis honores:
Eſt meritis quando maxima parta tuis.

Iſta

Ista petant alii, quibus est ignotus Apollo,
Et nulla possunt arte parare decus.

EIVSDEM.

Natura ingenium multis dat, mentis acumen,
Doctrinam, eloquium, cumq; lepore sales,
Candoremq; aliis, uerum hæc qui singula solus
Possideat, quouis iudice rarus homo est.
Rarus homo est ideo Faletus iure uocandus,
Hæc quoniam, ut uideo, singula solus habet.
Verba soluta modis, numeros seu scribat amicis
Carmina grandiloqua seu sonet ille tuba.
Qui potiora petit, gustu caret, & caret omni
Iudicio, haud hominem, sed cupit ille Deum.

EIVSDEM.

Acre tibi ingenium quàm sit miramur, ut edas
Tam faciles docto promptus ab ore modos.
Siue cañas elegos, seu martia bella reponas,
Heroas quando ducis in arma manus.
Insurgis quantus Phœbæo agitatus ab œstro,
Abs te cum referunt scripta Maronis opus.
Hinc lauro es dignus, cedro cum digna loquaris,
Et patriæ existas gloria rara tuæ.

STE-

STEPHANVS CATTANEVS DE LIBELLO Faleti ad lectorem.

Non plures Indo conduntur in æquore gemmæ,
Hoc quàm Faleti nobile condit opus.
Nulla tibi hic deerunt quantunuis rara legenti,
Tristia seu cupias, siue seuera magis.
Munera sunt fuluis Hermi potiora metallis,
Quæ tibi tam culto carmine Musa tulit.
Hæc non ignis edax, non durum euertere ferrum
Nulla uel ira potest, nulla abolere dies.
Hunc igitur tibi sume libens, hunc uolue libellum,
Hic lateri assiduus sit comes usque tuo.

BAPTISTA SARRACCVS.

Dulcisono solus celebrat te Musica cantu
Faletus, quid tum? quæ doceo, ipse canit.

ALIVD.

Musica te solus potuit celebrare Faletus,
Nimirum is solus noster alumnus adest.

LILII GREGORII GIRALDI.

Cum mea Musa cadat, tua surgat ad astra Falete,
Ah me quæso senem carmine tolle tuo.

LVDOVICI VALENTINI.

Tu, cui permultum est æris, cui libra Falete
Appensum libra quod placet ære paras,

Sic

Sic me lance tua ingenii pensum, atque repensum
Reiicio usque operum callidus æra negas.
Non tibi sic salsæ res, sed sum absque ære necesse in
Aere tuo, ò utinam sic sine libra etiam.

ALPHONSI BIEVLAQVII.

Falete Ausoniæ decus immortale camœnæ,
Et Ligurum antiqui gloria magna soli,
Ipse licet nullo fueris mihi tempore notus,
Præ cunctis ego te cogor amare modo,
Postquam nectareo conspersum rore poema
Perlegi cupidus terq;, quaterq; tuum.
Illic nam castos licuit mihi noscere mores,
Inde tuam noui cum probitate fidem.
Ferreus est, quicunque legit tua carmina, si non
Protinus addictus seruiat ille tibi.

EIVSDEM.

Dum canit altisono Mantous carmine uates
Quæ Phrygius Latiis intulit arma uiris,
Ipse furore grauis Phœbæo et concitus œstro
Fatidico tales edidit ore sonos.
Quid miserum Grineæ pater hic deludis alumnum,
Negligis innocuos Andiadumq; choros?
Nam mihi pollicitus fueras tu sæpe precanti,
Irrita nec demens uota futura rebar.

Primus

Primus ego Ausonios inter sine fine poetas
Quod canerem miris horrida bella modis.
Hei mihi cur uideo, hinc multis labentibus annis,
Nasci aliquem plectro qui grauiore canat?
Surgere, & inuisa Ligurum de stirpe Faletum,
Cui dones numeris me superare suis?
Sic ait irarum plenus, gentemq; perosus,
Inde Maro est ausus dicere, uane Ligur.

EIVSDEM.

Senserat Eridanus solitos qui fleuit honores,
Pro lachrimis lætas dicere nunc choreas:
Mox causam inquirens nouitatis, adesse Faletum
Audiit, Aonidum concomitante choro.
Illius & cantu aspirat dum pulcher Apollo,
Turba Deum ripas contegit umbriferas.
Ergo ait, huic iuueni tam dulcia plectra mouenti
Bistonius uates cedere iure potest.
Ille homines traxit, siluas, & saxa, ferasq;:
Iste mouere Deos est potis, atque Deas.

AD HIERONYMVM FALETVM
Lilii Gregorii Giraldi.

Dum nimium studeo tibi culte Falete placere
Desipio, minor at quàm tua culpa mea est.

Qui non debueras ægroq; , seniq; iubere
Vt fescenninos luderet ille modos,
Ille tibi neque debuerat parere iubenti,
Hinc ergo minor est quàm tua culpa mea.

AD HIERONYMVM FALETVM, HERCVLIS Estensis Ferrariensium Principis apud Venetos Oratorem, Bernardini Fragheti.

Ante uiri quanuis tanti mea scripta rubescant
Rustica conspectum, quando uenire solent:
Hæc pauca, absterso timida de fronte pudore,
Accedent oculis inspicienda tuis:
Cum sis doctrina clarus, cum nobilis arte,
Ingenio præstans, consilioq; potens:
Quid ualeat uirtus, per te patet omnibus, alma
Eximio sani pectoris eloquio:
Sed magnas cupide conantem dicere laudes
Deficiunt uires debilis ingenii:
Non deerunt alii, dabitur queis carmine digno
Dicere quæ reticet nostra Minerua rudis.

IOANNES BAPTISTA CREMENSIS ad Faletum.

Quæ mihi misisti dulcissima carmina uidi,
Indicio ingenii singula clara tui.

Quàm bene conueniunt Alcidæ maxima. quænam
Hercule materies grandior esse potest ?

DIDACVS PYRRHVS LVSITANVS
ad Faletum.

Quis unquam bone crederet Faleti
Ni nequam, & male sobrius fuisset,
Vt Giraldiùs ille, doctus ille,
Atque omnis pater eruditionis,
Pro quo sunt mihi tot peracta bella
Contra grammaticosq;, rhetorasq;,
In me uersiculis licentiosis,
Et nigro sale luderet bilinguem,
Dum balbo studet, & seni Volusso ?
Quis unquam bone crederet Faleti,
Ni nequam, & male sobrius fuisset ?

IOANNES BAPTISTA PIGNA,
de Hieronymo Faleto.

Phœbe sollicitum labore magno
Pro tibi simili laborioso
In monstra Hercule maximo Faletum
Soluas à Veneto uagante morbo.
Hic lauri gemino decore dignus,
Tui numinis approbatione,
Seu Musas Tyberi sacras, & Arno

Cantu Mæonio lyraue dulci,
Seu dextra atque animo nihil pauente
Victrices aquilas ſecutus olim.
Nunc quanquam eloquii, utriuſque iuris,
Legati officio togaq; clarus,
Non debet tui inops fauoris eſſe.
Quin immo radios ſereniores
In auram iacules eum ambientem:
Vt cœli uitio iſtius fugato,
Huc uita incolumi redire poſsit.
Nanque præſidii memor recepti,
Graui iudicio, ſtyloq;, & arte
Conſcripta hiſtoria orbis uniuerſi
Rerum, tempora quas tulere noſtra,
Hetruſcas iterum Latiq; nymphas
Ad nati fluuium tui uocabit:
Supremo numeris furore natis
Acturus tibi gratias ſupremas.

LILIVS GIRALDVS.

Dis fauentibus, approbantibusq;
Confectas tabulas domus Falete,
Quam præſente pecunia paraſti,
Audiui: tibi gratulor, tuisq;,
Vxori, ſocero, omnibusq; amicis.

Quod uobis bene posterisq; uertat,
Hoc uotum bonus Hercules secundet.

IO. BERZOSA CAESARAVGVstanus, ad Hieronymum Faletum.

Iam iam Musa receptui canamus,
Indultum satis est tuo furori,
Demens ulterius quid ire pergis
Vatis laudibus inclyti superba?
Iam tuto satis est ineptiisse
Missos fac elegos. minor uideri
Noli, dum petis hinc habere laudem.
Iam iam Musa receptui canamus.
Quanuis te relegat poeta sæpe,
Atque illi uideare comprobari,
Eius moribus id referre debes
Acceptum, probus est, benignus, atque
Comis, candidus, & lepore plenus.
Humanus, facilis, poeta blandus,
Quouis auribus audit haud supinis.
Iam iam Musa receptui canamus.
Sit quamuis placidus, tamen tuorum
Offendi strepitu pedum ualebit.
Versu uise Faletio Faletum,
Et poscas ueniam tui furoris.

Nomen

Nomen carminis ille gestat huius,
Heroo sed alit poeta uenam
Dignam uel numero sonantiore.
Iam iam Musa receptui canamus.

DIDACI PYRRHI LVSITANI DE
Lycoride, & amore, ad Faletum.

Ornabat radio comam Lycoris,
Ornanti puer astitit Cupido.
Et quid compositos puella crines
In tortum iuuat alligare nodum?
Tanquam non magis, ac magis Faleto
In longis placeas meo capillis.
Olim cum Phrygia Venus sub Ida
Consortem Iouis, & Iouis puellam
Deuicit meritæ decore formæ,
Iuno chrysolitis grauem smaragdis
Aptarat capiti manu coronam.
Pallas terribili superba uirgo
Incessit galea, quati putares
Classicum Batauo ciente pugnas.
Risit quæ niueas citat uolucres,
Et guttis Arabum comam fluentem
Permisit rapidis uibrare uentis.

EIVSDEM.

Prædixin fore quod uides Falete?
Num uates uideor tibi uel ipſo
Certior Claron incolente Phœbo?
Puella illa bono ſuperba formæ,
Sed ſuperbior ambiente Gallo,
Gallo diuite prodigoq; noctes,
Nuper dum madidum roſa capillum
Ardenti cupit uſtulare ferro,
Ah dolor caput inuolauit Hebes
Sponſus ignipotens Deus. uideres
Flagrantem ſcythicis dolis Creuſam.
Nec curſum citius furens repreſsit,
Quàm claram abſtulit undecunque prædam,
Raſo uertice, & igne depilato.
Et nunc illa domo tenebricoſa
Mœret ſola ſedens, nec amoueri
A luctu patitur, ſed obſtinatum
Imis pectoribus premit dolorem.
Neque hoc peius habet bonam puellam,
Quòd ter impius, & ſceleſtus ille,
Qui ſic molliculam comam peredit,
Ignis nomine Gallicus uocatur.

AD

AD AMICAM.

Ni me uis propero puella cursu
Cocyte tacitam subire ripam,
Et causam lacrymis, diesq; acerbos
Præbere heu miseri patris senectæ;
Aut istos mihi lucidos ocellos
Submitte, ut liceat deosculari,
Aut, si proposito tenax inhæres,
Vt me non facias pili rogantem,
Conde istos mihi lubricos ocellos,
Conde istas mihi lacteas papillas.
Mori deliciæ iubent negatæ.

DE EADEM.

Furtim basiolum meæ puellæ
Ludens surripui, fauete amores.
Vt quæ basiolum puella uultu
Irato negat usque se dedisse,
Et furem uocat, & uocat procacem,
Et blandum lachrymis gemit coactis,
Olim cum dederit. quod augurari
Fas, quæ basiolum dedit, daturam,
Vltro rideat, & lubens dedisse
Iuret basiolum diu negatum.

LILII GREGORII GIRALDI, ad Faletum.

Quòd ſint tam faciles tibi Falete
Et Phœbus pater, & pater Lyæus,
Vt te ad Pieridum choros ſororum
Deducant comitem, abluantq; ſæpe
Defeſſum chorea Olmei ſubundis,
Hoc mirum eſt minus, his puer fuiſti
Nutritus ſtudiis tenellus annis.
Hoc mirum magis, aliger quòd Arcas
Eduxit Ciceronis ad lucernam,
Et ſermone dedit loqui ſoluto.
Quid dicam? Eunomiæ, & Dicæ ſorores
Cum ſint tam tetricæ, atque tam ſeueræ,
Amplexu tamen hæ tuo fruuntur,
Indulgentq; tibi ſuos amores.
Macte ò terq;, quaterq; mi Falete,
Hanc iugis tere ſemitam, tenebis
Tandem quem cupis Herculis fauorem.

IIDEM.

Huc Aſclepiades Deæ ſorores,
Huc ò nunc, rogo adeſte cum parente.
Vos Phœbus pater, & pater Lyæus,
Vos & Pegaſides uocant ſorores.

Suas delicias bonum Faletum.
Torquent immeritum graues dolores.
Huic ſi tormina, ſi graues dolores
Leuetis, Tiberina in æde uobis
Criſtatos geminos dicabo Gallos.

AD FALETVM PYRRHVS.

Seruatus tumidi maris procellis
Votiuam Geminis dicat tabellam
Nauta cum titulo breui ſalutis.
Quid me, quem toties procax Cupido,
Et mater male ſuada, & inſolentes
Mundi blanditiæ furente uento
Tranſuerſum rapuere, quà Carybdin,
Quà Scyllam ſiculæ pauent carinæ
Poſt fractas Ithaci rates Vliſsis,
Et quem ni pietas nouem ſororum
Seruaſſet, poterant habere fluctus;
Quid me docte iubes Falete, quid me
Iubes Aoniis dicare muſis?
Num quas mollis amor mihi iocoſos
Pangenti numeros reliquit alas,
Vt uerſu canerem ſuauiore
Vltro Pierio tholo dicabo?
Et dicam, ſpolium hoc fugati amoris
Didacus poſuit Iouis puellis.

A L A.

His amor,his crudelis amor, his utitur alis,
Siue ſecat pennis æthera, ſiue ſedet,
Matris in gremio ocioſus heu heu.
Quis me noſſe Cupidinis
Arma coegit?
Me miſerum, me
Natum ſydere ſeptimo;
Notus unde mihi tyrannus ille?
Me miſerum quis mi porriget auxilium?
Num Deus, aut mors feſtina? aut effœta ſenectus?

A L I A.

Quo tu ſæue puer? quo nigras induis alas?
Quo faculam? quo mi ſpicula dura moues?
Num ſat longa diu regna Lycoridis
Perpeſſus uideor? mouere tigres
Orantis poterant preces.
Nil tamen, heu, nil
Illa querelas,
Nil audit gemitus, freto
Surdior rapidis furente uentis.
Heu heu, quis miſerum me manet exitus?
Si quæ ſola mihi uita Lycoris erat,
Me fugit, & turpes Ligurini curat amores.

ALIA. LOQVITVR PHRYNE.

Quam tibi dum Veneri non cederet æmula iuuẽta
Alam surripuit Phryne lasciue Cupido
Parce, tuis humeris ecce reponit anus,
Et te, si quis adhuc est precibus locus,
Per istos nitidos tuos ocellos,
Per crinem aureolum rogat.
Laida uites.
Illa Corynthi
Ludum nuper amoribus
Auaræ instituit, nec ære paruo
Prostat, certa procos glubere diuites.
Prostat, certa procis ludere pauperibus.
Iamq; adeo infames portus, & littora uitat
Nauita difficilemq; aditũ bimarẽ uocat Corynthũ.

HERC. CONTRARIO GABR. AREOST.

Hercules nomen referens, & altum
Herculis robur, decus urbis, atque
Regius sanguis, patrios & inter
Clarus honores,
Quem iuuat ferri metuendus horror,
Quem uirum clamor, fremitusq; equorum,
Vultus atque atrox inimicum in hostem,
Crudaq; uirtus.

Cæsaris

Cæſaris magni modo qui ſecutus
Caſtra per montes rigidos pruinis
Perq; torrentes uiolenter actos
Turbine magno,
Barbaras fudit cataphractus alas,
Vinxit & captas Latia catena,
Nunc nouæ gaudet ſtudio paleſtræ in-
tendere uires.
Viderat nanque eximio duello
Quem prius norat, clypeata uirgo
Cælibis uitæ, & ſpecioſa ferre
Signa pudoris.
Dixit, hic noſtras graditur per artes,
Si modo allectus iuuenis benigno
Virginum cœtu fluuio canoro
Proluat ora.
Vidimus natum Thetidis marinæ
Sparſerat poſtquam Phrygias phalãges,
Fortia aurato reſonare plectro
Prælia patrum.
Vt ferox agmen domiti bimembres,
Magnus & raptam rapuit proteruo
Euryto Aegides, Pelaten peremit
Dextra parentis.

Vt fretum primi Minyæ ſecarent,
Vt ferant uellus pecudis beatæ,
Iſſe per ferrum, ſegetemq; fratrum.
Iſſe per ignes.
Dixit, & uerum patefacta numen
Voce, & inceſſu iuuenem ſequentem
Ducit ad ſanctas Heliconis umbras
Tramite noto.
Ille uix lucos tetigit uirentes,
Audiit riuos reſonantis undæ,
Audiit cantus liquidos ſororum
Te duce Pallas.
Ardet immenſum quod adire ſedes
Cernere intactas oculis uirorum
Præter his, fulgent quibus aſtra iuuit
Sudor, & algor.
Verſat, & feruet, uelut actus œſtro,
Turbidus fandi tripodum ſacerdos.
Tunc potens uoti dea dixit æſtus
Concipe dignos.
Macte uir flammis generoſi amoris,
Tempera inſtantes tamen ò calores,
Grande nam munus dabitur quod optas
Noſſe camœnas,

Os ſacrum, crines, nitidosq; ocellos,
Carmen illarum ſociare neruis,
Greſsibus caſtis ſociare greſſum,
Iungere dextram.
Sed prius noſter doceat Faletus,
Arte qua diuas faciles pararis:
Ipſe te ducet monitor uolentem ad
Laurea ſerta.

AD HIERONYMVM FALETVM, DVCIS Ferrariæ apud Venetos Oratorem, Nicolaus Stopius.

Muſarum & Charitum decus Falete,
Dignas haud potis eſt referre grates
Noſtra pro meritis tuis Camœna,
Pro ſumma illa tua benignitate
Et candore animiq; amore fido,
Quo me proſequeris, tuoq; amore
Condignum reputas, pater leporum,
Muſarum & Charitum decus Falete,
Cui cedunt merito omnium lepores,
Euenit mihi quod preceq; uoto
Concepi: pia uota ſortiuntur
Euentumq; pium, hoc referre poſſum,

Quando

Quando mente pia Deos precamur,
Ad me carmina tu dedisti amœna,
Verè carmina docta adhæc faceta,
Musarum, & Charitum decus Falete,
Ad uillamq; uocas amanter, & mi
Suades ut referam pedem repente,
A grassante malo grauiq; peste
Vrbem quæ Venetam molestat acre,
Ad bellam ergo uocas amanter Vmbram
Villam, cui reor hoc datum esse nomen
Olim ob innumeras amœnitates
Bella tempore queis abundat omni,
Te præsente nihil potest deesse,
Quod mentem exhilaret, pater leporum,
Musarum, & Charitum decus Falete,
Nil sane poterat mage expetitum
Euenire mihi, proferto, non si
Musæ delitiæ meæ uenirent
Ad me; sed quid ego referre tento
De musis, quæ habitant perennetecum,
Et te quoquo abeas sequuntur usque,
Præ te uel cupiunt relinquere omnes,
Nec credunt uenerandus alter hic sit,
Nullum nanque sciunt honore tali.

Dignum, nam ſimilis quis hic Faleto?
In quem Diiq; , Deæq; amanter omnes
Contulere ſua, ut fatentur omnes,
Aſt nullo anxiferis abeſſe curis
Latum tempore mi dabatur unguem,
Tunc ſanè nihil ægrius ferebam,
Quàm diſiungier à tuis Camœnis,
Muſarum, & Charitum decus Falete.
O lætas mihi collocutiones,
Si tecum licuiſſet umbra in illa
Verſari, & recubare Bella in umbra.
Felicem magis aut beatiorem
Dixiſſem, ex animo, nec eſſe quenquam.
En mi nempe datum frui petitis,
Verum non licuit; ſemel licebit,
A me triſtis ubi recedet aura,
Et uentus dabitur mihi ſecundus.
Huc iam ſollicitant, & inde curæ,
Quæ mentem exagitant ad inſtar undæ
Actæ, quàm indomitus repellit Auſter,
Sed iam muſa, precor, ſatis ſuperq; ,
Imponendus & eſt tuis querelis
Finis, miſſa fac iſta, nil profecto
Ad noſtros faciunt graues dolores,

Curas alleuiant nihilq; acerbas,
Constanti esto animo, serenus aer
Depulsis tenebris breui micabit,
Et sol auricomus caput decorum
Ostendet placidè, & comas amœnas.
Nil musa addubites, modo Faleto
Sis grata, inuigiles amanter illi.
Musarum, & Charitum decus Falete,
Quanuis fortè aliis sit inuenustum
Hoc carmen, tibi si placebit; omnes
Censores nihili seueriores
Pendo, tum rabulas ineptiores,
Hoc tantum cupio meo Faleto
Omni ex parte placere, & hinc beatum
Me uerè ex animo puto beatum,
Est nanque officiosus, & benignus,
Musarum & Charitum decus perenne.

LIBRI DVODECIMI, ET VLTIMI FINIS.

ERRATA, QVAE OPERARVM incuria acciderunt, ſic corrigito.

Folio	verſu	Lege
3	24	*uictricia*
5	1	*nutarunt*
5	2	*lapſu*
9	21 *a tergo*	*curſu*
10	3	*arua*
16	8	*cœlum*
17	2 *a tergo*	*mileſq;*
17	10 *a tergo*	*& ab obſidione*
19	5	*Amsfordica*
22	14 *a tergo*	*Parthenopes*
29	7	*toto*
31	20	*anhelat*
32	22 *a tergo*	*reciſa*
32	23 *a tergo*	*reuulſa*
33	11 *a tergo*	*Erculana*
47	23 *a tergo*	*patula*
48	1	*uiridi*
50	23	*ſic cum*
56	6	*terret*
58	15	*ni ſpes foret*
62	13	*Tonantis*
63	23	*ſit rationis*
67	16 *a tergo*	*terra benigna*
71	1	*ſidereas*
77	24 *a tergo*	*magne*
82	7	*uiuida*
83	5 *a tergo*	*Ad eandem*
86	23	*Threiciæ*

Folio	Verſu	Lege
89	22 *a tergo*	*Eſtenſem*
90	17 *a tergo*	*fortia facta*
91	5	*claſſe parat*
92	12	*Phœbeæ*
92	7 *a tergo*	*currat equis*
&	22 *a tergo*	*Cæſaraugu- (ſtanus*
95	23 *a tergo*	*Quæ uehis*
105	1 *a tergo*	*Principis Eſtẽ*
108	5	*tricentos (ſis*
&	3 *a tergo*	*conſcius*
110	2 *a tergo*	*cautus*
115	7	*hinc deus*
&	22 *a tergo*	*afflatur*
116	8	*Indeq; diui- (num conceptum*
&	11 *a tergo*	*libethrides*
&	3 *a tergo*	*nunc primũ*
118	2	*quas melle*
120	19 *a tergo*	*totus debear*
121	23	*nil dabit*
123	3 *a tergo*	*cum mihi des*
128	21 *a tergo*	*Grinæe pa- (ter deludis*
128	22 *a tergo*	*Nec rebar de- (mens irrita uota fore.*
132	1 *a tergo*	*Cocyti.*